SYNODUS
DIŒCESANA



SYNODUS
DIŒCESANA

Celebrata in Ecclesia Cathedrali Trojana, diebus 13., 14., & 15., Mensis Novembris 1735.

Ab Illustrissimo, & Reverendissimo

DOMINO

D. JOANNE PETRO FACCOLLI.

Episcopo Trojano.

ROMÆ MDCCXXXVI.
Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

INDICTIO SYNODI
DIOECESANÆ TROJANÆ

Joannes Petrus Faccolli, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Trojanus, Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina Providentiâ PP. XII. Prælatus Domeſticus, Pontificii Solii Epiſcopus Aſſiſtens, eidemque Sanctæ Sedi immediatè ſubjectus.

UBI primùm, nullis ſuffragantibus meritis, ſed Deo Optimo Maximo elargiente, hujus Sanctæ Trojanæ Eccleſiæ Epiſcopatus onus, etiam Angelicis humeris formidandum, à fel. record. Benedicto PP. XIII. ſuſcepimus, atten-

dentes Nobis, & universo Gregi, quem Spiritus Sanctus regendum Nobis demandavit, in ea semper cogitatione diù multùmque versati sumus, ut quæ nostræ Pastoralis curæ interessent, majori quâ possemus sedulitate, & pro nostra virili parte exequi conaremur. Quamobrem vix ad destinata hujus Trojanæ Diœceseos limina pervenientes, in id potissimùm Pastoralis nostri Muneris consilia, & conatus illicò quam maximè intendimus, ut Gregem ipsum à Luporum insidiis custodiremus immunem, à vitiorum contagio servaremus illæsum; & per senticosa difficillimaque loca, quoad ejus fieri posset, duceremus indemnem. Hinc non semel, sed plurimùm hujus nostræ Diœceseos lubentissimo animo Visitationem aggredientes, vultumque Gregis nostri nostris oculis cognoscentes, varia, & quàm multa, tanquàm opportuna ad curandum Animarum morbos remedia, tota sedulitate nostra, & solertia præcepimus, præcepta ediximus, atque edicta promulgavimus. Sed quoniam non sine ingenti cordis nostri mœrore, quæ hactenus præcepimus, haud nimiùm profuisse experti sumus; ad alia efficaciora, & longè opportuniora, ad ea nimirùm, quæ Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilii gravissima sanctione præscribuntur, animum nostrum

ſtrum convertimus; atque Epiſcopalis noſtræ Providentiæ partes haudquaquam in aliud utiliùs, quàm in Diœceſanæ Synodi celebrationem, ſeriò duximus impendendas. Divina igitur dirigente Gratia, ſine qua nihil eſt validum, nihil Sanctum, Diœceſanam Synodum, per quinquaginta circiter annos variis de cauſis intermiſſam, ad diem Dominicam XXIV. poſt Pentecoſtem, quæ erit decima tertia dies menſis Novembris currentis anni milleſimi ſeptingenteſimi trigeſimi quinti; atque ad duos alios dies immediatè ſequentes, in noſtra Cathedrali Eccleſia inchoandam, celebrandam, abſolvendamque, jam elapſo Epiphaniæ Feſto per Diaconum de ſuggeſtu inter Miſſarum ſolemnia denunciavimus, atque iterùm in præſentiarum ſtatuimus, denunciamus, indicimus. Quocircà Univerſis, & ſingulis hujus noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, & inſignis Collegiatæ Fogianæ Dignitatibus, & Canonicis, necnon omnibus Civitatis, & Diœceſeos Parochis, Beneficiatis, Presbyteris, & cujuſque gradus Clericis, qui de jure, & conſuetudine Diœceſanæ Synodo intereſſe debent, mandamus, & præcipimus, ut ſtatis diebus prædictis ad Cathedralem noſtram conveniant; neque inde, niſi ipſis Synodalibus actionibus, & ſeſſionibus expletis,

 di-

discedere ausint, sub pœnis à Sacris Canonibus decretis, & pro nostro arbitrio præscribendis. In quorum fidem præsens hoc edictum nostro chirographo signatum, atque à Cancellario nostro subscriptum, ut omnibus exploratum fiat, perinde ac si cuique fuerit indictum, in Cathedrali Ecclesia, aliisque Diœceseos Ecclesiis promulgandum, earumdemque valvis affigendum mandavimus. Datum Trojæ ex Episcopali Palatio die prima mensis Augusti 1735. Pontificatus verò nostri Anno IX.

Joannes Petrus Sanctæ Trojanæ Ecclesiæ Episcopus.

Dominicus Trincucci Notarius, & Cancellarius Episcopalis.

ORA-

ORATIO

Pro Apertura Synodi ab eodem Illustrissimo Episcopo recitata.

Quod erat maximè optandum, *Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii, & quod unum ad nostri Pastoralis muneris levandam sollicitudinem, qua potissimùm pro vestra, Populique salute urgemur, pertinebat, id non humano consilio, sed propè divinitùs datum, summo animi nostri undequaque erumpente gaudio experimur. Inveteravit enim Synodalium condendarum legum desuetudo, quæ jam annorum quinquaginta spatio confirmata, nec attentari videbatur impunè, & vel temporum, vel animorum contentione in dies percrebrescens in melius, nec immutari, incredibili propemodùm cordis nostri dolore, patiebatur. Sed omnipotenti Deo, qui potens est virtutem, & salutem facere in electis ejus, gratiarum actio jugiter persolvenda, quòd tàm diuturnam, tamque Ecclesiasticæ Disciplinæ periculosam omninò in cogenda Synodo tarditatem, maturiori apparatû, feliciori expectatione, atque spe uberiori exequaverit. Ventum igitur est ad id temporis, in quo Synodalium Verborum apposita lucerna pedibus, & lumine semitis vestris, Probitas vestra, morum correctione recentiori, clariùs manifestetur, longiùs perseveret, & oneris suavitate validiùs restaurata, viam mandatorum inoffenso pede percurrat. Quodnam erit profectò animo nostro solatium, si postquam Domus Dei in reædificatione parietum, vi terræmotus disjectorum, & Altarium erectione, decorem, & locum habitationis gloriæ Ejus dilexerimus, etiam domum non manufactam, æternam ædificationem ex Deo, bujus nostræ primæ Synodi sanctionibus reparare, & sartam tectam conservare, dextero auspi-*

cio

cio contingat? Quid ni in Domino gloriabimur, quod Vos jucundissimum Deo, Angelis, & hominibus effecti spectaculum, capiti nostro corona, & gaudium evadatis? Inhabitet ergo in vobis virtus Christi: in vobis ipse perficiat bonum opus: nobis plantantibus irrigare, & incrementum dare dignetur; ut muneri nostro non impares, nos quæ recta sunt; agere valeamus; Vos, quæ sunt adimplenda, liberis mentibus exequamini. Nos itaque Divinam opem, & præsidium in tanto, & primo opere exordiendo, effusis precibus deprecantes, Synodum hanc Sanctam, quam ad Dominicam vigesimam quartam post Pentecostem celebrandam indiximus, hac ipsa die, Patrocinio Beatissimæ Virginis Mariæ dicata, aperiri volumus, & incipi consultò decernimus. Vos interea, Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii, D. O. M. Beatissimam Filii ejus Genitricem, Divumque Joseph ejus sponsum, B. Michaelem Archangelum, Sanctos Eleutherium, Pontianum, Secundinum, Urbanum, & Anastasium Civitatis nostræ Patronos jugibus votis, & orationibus invocate, quorum numine, & patrocinio profutura suffragia conferantur.

CON-

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM
TITULUS PRIMUS.
De Fide Orthodoxa.

CUùm inter omnes noſtri Paſtoralis Officii ſollicitudines ea potiſſimùm primas habere debeat, ut Fides ſcilicet Orthodoxa, quam Sancta Romana Eccleſia firmiſſimè tenet, & docet, & ſine qua nullo unquam pacto fieri poteſt, ut uni Trinoque Omnipotenti Deo placere poſſimus, integrè, inviolatèque in noſtra Diœceſi ſervetur ab omnibus; operæ quidem pretium eſt, ut ab iis, quæ ad hujuſce Fi-

Fidei solidum fundamentum firmissimè tuendum sunt apta, has nostras Synodales Constitutiones exordiamur. Quoniam verò cùm ab ignorantiæ tenebris, tùm ab errorum commentis, Fidem ipsam non parùm detrimenti passam fuisse, tot sæculorum experientia compertum habetur; summo studio elaborandum, ut quæ ad ignorantiæ tenebras fugandas, atque errores abigendos conducunt, sequentibus Capitibus præcipiamus.

CAPUT I.

De Doctrina Christiana.

I. QUia Fides nostra ex auditu est, ut ait Apostolus (*a*); neutiquam fieri potest, ut ejusdem secreta, & Divina Mysteria humanis inferantur mentibus, nisi vivæ vocis ministerio priùs auribus immittantur: proindeque facile est dignoscere quantùm nos opoteat elaborare, ut nobis commissi Gregis Dominici ovibus, ac tenellis præsertim Agnis, quos omni cura, & sedulitate pascendos Redemtor omnium proprio ore bis deman-

(a) *Ad Rom.* c. 10.

mandavit, lac Fidei potum præbeamus. Omnibus igitur Animarum curam gerentibus præcipimus, ut non solùm singulis Dominicis, verùm etiam aliis festivis diebus, ut Sacrum Concilium Tridentinum præscripsit (*b*), in singulis Civitatis, & Diœcesis Parochiis, una saltem hora de prandio, pueros usque ad quartum decimum, & puellas usque ad duodecimum annum, Fidei rudimenta, seù Christianam Doctrinam, ex breviori Patris Pinamontis libello, quem à nostro Prædecessore in more positum comperimus, ad eorum captum perdoceant. Quoties autem sui muneris obliti hæc omiserint Parochi, toties per nos pœna carolenorum quinque multabuntur.

(b) *Sess. 24. de reform. c.4*

II. Parentes verò, & Dominos, qui per quinque vices in annum suos Filios, & famulos ad catechismum audiendum in Parochialem Ecclesiam mittere neglexerint, ab Ecclesiæ ingressu privabimus; nisi legitimum affuerit impedimentum, per ipsos Parochos probandum; aut tandem domi ab idoneis magistris edocendos curaverint.

III. Et quia fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor Firmamenti, qui erudiunt multos; ad hujuscemodi

claritatem assequendam, quos possumus, vocare quam maximè exoptantes, singulis quibusque Clericis, sive in Sacris, sive in minoribus Ordinibus constitutis, aut simplici Tonsura insignitis, aut tandem Clericali habitu decoratis, districtè mandamus, ut in pueris catechizandis in propriis Paræciis studeant Parochos adjuvare. Quod si neglexerint, sollicitè ad nos deferant Parochi, ut quos virtutis amor ad hoc tàm præclarum, & pium opus non allicit, saltem pœnæ formido sollicitet; ad alios enim ordines hujusmodi socordia laborantes haudquaquam promovebimus.

IV. Sed ut quæ in votis pro tanto bono habemus, compotes tandem efficiamur, & nostrismet oculis Vineæ Domini Sabaoth optatam culturam videamus, Parochis omnibus hujus Civitatis præcipimus, ut quater in singulos annos, idest in die Dominica Sexagesimæ, Dominica in Albis, Feria tertia post Pentecosten, & Dominica secunda mensis Novembris, ad Cathedralem Ecclesiam cum suis Doctrinæ Christianæ Tyronibus conveniant post Vesperas, ut eorum profectum in addiscendis nostræ Fidei rudimentis experiamur.

mur. In aliis verò hujus noſtræ Diœceſeos oppidis, ſimiliter ſtatis prædictis diebus in Eccleſiam conveniant Majorem; ubi à Doctrinæ Præfectis per Nos deputandis examen habeatur: cujus diſtinctam rationem, ſub pœnis pro noſtra voluntate infligendis, in Sancta Viſitatione requiremus.

V. Et quia non ſine ingenti Chriſtiani nominis injuria quamplures etiam ætate provecti reperiuntur, qui præcipua Orthodoxæ Fidei Myſteria, ac rudimenta nullo quidem modo percallent; & quod magis eſt deplorandum, cum cæteris in ſchola addiſcere erubeſcunt; mandamus, ut omnes Parochi Civitatis, & Diœceſis quibuſque diebus Dominicis poſt lectum, aut cantatum Evangelium, antequam ejuſdem Evangelii explanationem ſuſcipiant, clara voce, univerſo Populo reſpondente, recitent Signum Sanctæ Crucis, cum Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Myſteriorum expoſitione breviſſima, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Apoſtolorum Symbolum, decem præcepta Decalogi, quinque Eccleſiæ mandata, & ſeptem Sacramenta; ut Sacra Concilii Congregatio Encycliis literis quondam præcepit (c).

(c) 19. *Januar.* 1619.

Quoties hoc omissum facient Parochi, toties dimidii aurei pœnam luent. Quod itidem in Oratoriis Sodalitatum, atque Ecclesiis ruralibus, aut campestribus iisdem diebus à celebrante, sub pœna suspensionis à Divinis, faciendum præcipimus.

VI. In Ecclesiis verò Parochialibus Diœcescos, in quibus ad Auroram, aut paulò post, pro Populi commodo missam celebrare est jam in more positum, præscribimus, ut non solùm in Parochiali Missa, sed etiam in hac altera, eodem modo à Celebrante prædicta recitentur, sub eadem pecuniaria poena. Pro cujus tàm salubris Constitutionis inviolata executione mandamus, ut Parochi singulis quatuor mensibus hujus executionis attestationem, sua manu conscriptam, ad nostram Curiam mittere non omittant.

VII. Sed quoniam Sanctissimi Domini N. Clementis PP. XII. summa in sibi commissum Gregem vigilantia nuper encycliis literis (*d*) nobis demandavit, ut Catechismi explanationem pro ætate Provectis in nostra Dioecesi promoveremus, pro quo diversarum Indulgentiarum tàm pro Docentibus, quàm pro Adultis ipsis addiscentibus, magnum elargitur

(d) 1. *Julii* 1735.

gitur thesaurum, ut in hujus Synodi Appendice apponendum curabimus; Omnibus, & singulis Animarum curam habentibus, nec non Sodalitatum Capellanis Confessariis, seù Directoribus, aut quocunque alio nomine nuncupentur, mandamus, ut saltem bis in singulos menses inter Missarum solemnia, aut hora qua placuerit opportuniori, auditores ipsos ætate provectos, Catechismi Romani regulis, quoad ejus fieri poterit, inhærentes, de Fidei Mysteriis instruere satagant diligentissimè. Eamobrem eorundem Parochorum munus erit, ut bis in singulos annos, in Dominica scilicet in Albis, & Die Festo Omnium Sanctorum, inter Missarum solemnia Edictum de Doctrina Christiana, quod in ejusdem Synodi Appendice exarandum volumus, sub eadem pecuniaria poena, Populo promulgent.

VIII. Et ut omnimodè ignorantium malitiæ, qui Catechismum effugiunt, occurramus ut oportet; interdicimus, nè ad Confirmationis Sacramentum accipiendum, aut ad Matrimonium celebrandum, quisquam deinceps admittatur; neque aliqua Educanda, aut Novitia Asceterium ingredi valeat, nisi priùs

per

per proprii Parochi testimonium se nostræ Fidei rudimenta percallere nobis fuerit compertum. Neque cuiquam denique in Paschali Præcepto Absolutionis beneficium, & Sacræ Eucharistiæ Sacramentum concedatur, si in doctrina Christiana, saltem in præcipuis Fidei Mysteriis, non fuerit imbutus.

CAPUT II.

De Magistris.

(e) *In Prolog. Pastor.*

(f) *Sess. 5. c. 7. de reform.*

I. CUM *quamplures sint*, inquit Gregorius (*e*), *qui dum metiri se nesciunt, quæ non didicerunt, docere concupiscunt; qui pondus Magisterii tantò levius æstimant, quantò vim magnitudinis illius ignorant*; juremerito Sacri Tridentini Concilii constitutioni obsequentes (*f*), interdicimus, ne cujuscunque conditionis Magistri, quà in Civitate, quà in tota hac nostra Dioecesi, lectiones quaslibet, sivè privatas, sivè publicas facere audeant, nisi priùs à Nobis, vel à nostro Vicario, non modò quoad eorum doctrinam, verùm etiam quoad ipsorum vitam, & mores fuerint probati,

bati, atque Docendi veniam ſint conſecuti; ſub poenis pro noſtro arbitrio infligendis. Antequàm verò ſuum docendi munus aggrediantur, volumus, ut in manibus noſtris Orthodoxæ Romanæ Apoſtolicæque Fidei profeſſionem emittant, & juramentum præſtent, ad ejusdem Oecumenici Concilii, & Pii PP. IV. præſcriptum.

II. Caveant autem Magiſtri, ne libros obſcenitatem, aut errorem redolentes, aut quocunque modo ab Eccleſia proſcriptos, ſuis Diſcipulis legendos proponant: Si ſecùs fecerint, ſeveriſſimas poenas, præter à jure latas, ſe noverint daturos. Nevè ſint ex eorum numero, qui, ut illacrymabatur Apoſtolus, ſanam Doctrinam non ſuſtinentes, prurientes auribus, ad fabulas convertuntur; ſed Doctrinam ſanam, & irreprehenſibilem amplectantur, doceantque. Hinc mandamus, ut in Civitate Viri à nobis deſtinandi, & in Dioeceſi Archipresbyteri, & Foranei Vicarii, quotannis Scholas ipſas bis reviſant, Scholares examinent, & de ipſorum progreſſu ad nos ſatagant deferre.

III. Magiſtri, qui Grammaticam docent, ſaltem ſemel in hebdomada, ſabbato ſci-

scilicet, à prandio suos pueros Christianam doceant Doctrinam ex laudato Pinamontis Libello: Singulis verò diebus, vesperi, absoluta lectione, ab iisdem genuflexis Orationem Dominicam, & alia, quæ in præcedentis Capitis numero Quinto præscripsimus, recitanda curent. Ipsorum denique Discipulorum mores efforment; ad meliorem frugem improbos redigant, ad Exomologesios, & Synaxios frequentationem sæpiùs hortentur. Quod si missum ex crassa negligentia fecerint, sciant se districtam apud Deum Judicem rationem reddituros.

CAPUT III.

De Prædicatione Verbi Dei.

I. QUoniam Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi, quod quidem sine prædicante audiri nunquam potest, ut docet Apostolus (*g*); nostri Pastoralis Officii postulant partes, ut Gregem nostrum Evangelicæ prædicationis salutari esca non defraudemus; necessitas enim nobis incumbit. Hinc

(g) *Ad Rom.* 10.

Hinc Sacri Concilii Tridentini (*h*) Constitutiones exequi pro nostra virili parte studentes, mandamus omnibus Archipresbyteris, Plebanis, & quibuscunque Parochiales Ecclesias habentibus, ut per se ipsos, aut per alios idoneos à Nobis probandos, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus, plebes sibi commissas salutaribus verbis, pro sua, earumque capacitate, pascant, Evangeliique doctrinam explanent; docentes quæ scire omnibus necesse est ad salutem, annunciantesque vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut æternam pœnam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Sed ut prædicta adamussim serventur, pœnam carolenorum quinque pro qualibet vice, si omiserint, Parochis nostris infligimus. Interea tamen loci universum Populum monemus, atque in visceribus Jesu Christi exhortamur, ut concionis Parochialis tempore, suæ Parochiæ interesse curet, ne incassum verbi Dei semen seminetur.

(h) *Sess.* 5. *cap.* 2. *Sess.* 24. *c.* 4.

II. Tempore Adventus, & Quadragesimæ cùm in nostra Cathedrali Trojana, aut Diœceseos Collegiatis, per concionato-

rem à nobis approbatum sermo ad Populum habetur, ne quos ad Dei verbum audiendum hortatores habere debent Populi, dissuasores suo pravo exemplo conspiciant, mandamus, ut omnes Dignitates, & Canonici, aliive Participantes, ut nuncupantur, Concionibus chorali habitu induti assistant, sub pœna amissionis fructuum illius diei; nisi tamen legitimo fuerint impedimento præpediti; quod judicio Magistri chori, cujus conscientiam oneramus, probandum relinquimus.

III. Nullus tamen, præter eos, quibus onus ex jure aut officio incumbit, quoquo tempore, & quaque Ecclesia, aut loco, concionem habere audeat, sine nostra, aut nostri Generalis Vicarii licentia, sub excommunicationis pœna. Regulares verò cujuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus, ut Sacri Tridentini Concilii verbis loquamur (*i*), de vita moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, in suorum Ordinum Ecclesiis concionari non præsumant, nisi priùs suorum Superiorum licentiam obtinuerint, & cùm hac licentia personaliter coram Nobis præsentati, nostram

be-

(i) *Sess. 5. c. 2.*

benedictionem habuerint. In Ecclesiis autem, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra suorum Superiorum licentiam, etiam nostram, quam gratis concedemus, expetere atque habere teneantur. Qui secùs fecerint, sint ipso facto excommunicati; & Ecclesiæ, in quibus prædicaverint, Interdicto eo ipso sint obnoxiæ. Quæstores demùm Eleemosinarii, qui etiam Quæstuarii vulgò nuncupari solent, cujuscunque existant conditionis (k), nullo modo, nec per se, nec per alium, sub pœna carceris, prædicare præsumant.

(k) *Concil. Trid. ibidem.*

IV. Caveant tamen nostræ Diœceseos Concionatores, ne Feria quinta in Cæna Domini, Passionis Dominicæ concionem sub noctem habeant; Sæpè enim prævaricationis Spiritum inducendi filios lucis ad opera tenebrarum ansam præripere experti sumus. Quapropter si præfata die concionari moris fuerit, sub vespertinum crepusculum concionem absolutam, & Ecclesiam clausam, volumus omninò: aliàs, Feria sexta in Parasceve, valdè mane, ante Divini Officii inchoationem fiet. Qui nostrarum Ecclesiarum Rectores secùs fieri permiserint,

 pro

pro nostro arbitrio pœnas luere cogentur.

V. Qui nominandi aut præsentandi Concionatorem pro Quadragesimali tempore jus habent, ante Festum Epiphaniæ nominare, & præsentare satagant; si secùs, pro illa vice jus nominandi jam amissum, & ad Nos noverint devolutum; ut Sacra Concilii Congregatio declaravit (*l*).

(l) *In Trojana, 14. Aug.* 1700.

VI. Hortamur autem in Domino, pro quo legatione funguntur, Concionatores omnes, ut eorum sermo, & prædicatio haudquaquam sit *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis* (*m*): *Neque adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquantur* (*n*); *non semetipsos prædicantes, sed Jesum Christum, & hunc Crucifixum*, & quùm præcipuo quodam modo Christi bonus odor esse ipsi debeant, etiam bonorum operum præseferant exemplum; hujusmodi enim *voci suæ vocem dabunt virtutis, & sicut descendit imber de Cælo, & germinare facit terram, sic erit verbum eorum, quod ad ipsos vacuum non revertetur* (*o*).

(m) *I. ad Corinth.* 2.

(n) *2. ad Corinth.* 2.

(o) *Is.* 55.

CA-

CAPUT IV.

De Lectione Sacræ Scripturæ.

I. QUùm Christianæ Reipublicæ non minùs Prædicatio, quàm Sacræ Scripturæ Lectio, & expositio mirandæ sit utilitati, quam in hac nostra Cathedrali Ecclesia jam à nostro Prædecessore multis ab hinc annis institutam, secundùm Sacri Tridentini Concilii præscriptum, in prima nostra Visitatione reperimus; distinctè mandamus, ut qui hujusmodi Theologalem Præbendam, eique addictum onus jam habet, vel in futurum habebit, diebus Dominicis, post Vesperas (exceptis tamen solitis tribus mensibus, Julio, Augusto, & Septembri, nec non Sacri Adventus, & Quadragesimæ temporibus) sub pœnis ad nostrum libitum infligendis, Sacræ Scripturæ expositionem atque interpretationem Populo faciat. Monitum tamen ipsum Lectorem volumus, ut cùm non omnes sint eodem ingenio præditi auditores

res, pro singulorum captu, dicendi ratione utatur; atque ut humanæ nedum eruditioni, sed spirituali etiam interessentium saluti hujusmodi Lectio prodesse possit; ad moralem sensum descendere haud omittat.

II. Cùm tamen Sacræ Scripturæ Lectio in nostra Cathedrali per prædictum Canonicum Theologum habetur, præcipimus, & mandamus, ut omnes Dignitates, & Canonici, Parochi itidem, & Confessarii, & reliqui omnes de Urbano Clero, ad hujusmodi lectionem audiendam in Ecclesiam accedant; si absque legitima causa absentes fuerint, quinque carolenos solvent. Regulares verò Confessarii, modo hæc ipsa lectio in suis Monasteriis non habeatur, interessé recusantes, pœna suspensionis à confessionibus audiendis punientur.

CAPUT V.

De Collatione Casuum Moralium, & Sacrorum Rituum.

I. QUia *labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & Legem requirent de ore ejus*, ut Malachias inquit Propheta (*p*); ipsosque Mundi lucem, & Terræ sal Christus Dominus nuncupavit; quali quantaque scientia eosdem esse præditos oporteat, omnes norunt. Ex quo factum est, ut à priscis jam inde temporibus in Ecclesia Sancta Dei Collationes Casuum Conscientiæ instituerentur; & nuper in Concilio Romano à Benedicto PP. XIII. præscriberentur (*q*). Amplectentes igitur tàm salubrem necessariamque consuetudinem, constitutionemque, ut nostræ Pastorali curæ summopere decet, mandamus, ut semel in unaquaque hebdomada, Sabbati nimirùm die, hujusmodi Congregationes, & Collationes à Clero Urbano in Ca-

(p) c. 2. v. 7.

(q) Tit. 15. cap. 9.

Cathedrali, & à Cleris Diœcesanis in Ecclesia Majori seù Matrice, habeantur post vesperas. Parochi autem Cellarum, & Faeti eodem die in Matricem Ecclesiam Terræ Castellucii, cum aliis de Clero, si qui fuerint, opportunè conveniant, dummodò legitimo non detineantur impedimento; & Animarum cura omninò non destituatur.

II. Et quoniam, non sine gravi cordis nostri dolore, Sacros Ritus, & rubricas à quamplurimis Sacerdotibus ignorari, aut certè corrumpi, experientia ipsa didicimus; operæ pretium esse ducimus, ut in iisdem Congregationibus habendis etiam Sacri Ritus, & Rubricæ discutiantur, & practicè exerceantur. Quanam verò methodo hujusmodi Collationes sint faciendæ, legendum in hujus Synodi Appendice jubemus.

III. Omnibus autem de Clero, & Urbano, & Rurali respectivè, ut hujuscemodi Congregationibus intersint, præcipimus. Qui sine legitimo impedimento ultra tres vices per totum annum non interfuerint, hoc modo punientur: Parochi videlicet unius aurei pœna; Confessarii sæculares poena suspensionis ab audiendis confessionibus; quam etiam

etiam Regulares Confessarii subibunt, modò in ipsorum Conventibus Morales Lectiones non habeantur: Cæteri autem de Clero, cujuscunque gradus, & conditionis fuerint, neque ad excipiendas fidelium confessiones, neque ad capessendæ Parochiæ concursum, neque ad alios ordines suscipiendos, respectivè admittentur.

CAPUT VI.

De Hæreticis, Maleficis, & Blasphemis.

I. QUanquam inter micantes Orthodoxæ Romanæque Fidei splendores, nostram hanc Ecclesiam in Italiæ meditullio sitam, à lethali Hæreseos contagio, tartareisque errorum tenebris longissimè dissitam atque immunem, Divino munere habeamus; nihilo tamen minus omni diligentia elaborandum, totaque sedulitate vigilandum esse autumamus, ne, cùm securitatis sopore detenti tranquillum somnum dormiamus, ve-

niat inimicus homo, qui noctu, & interdiu ad nostram usque vigilat calamitatem, & superseminet zizania. Sub poena igitur excommunicationis latæ sententiæ Parochis omnibus, & Vicariis Foraneis, necnon quibuslibet utriusque sexus personis, districtè præcipimus, ut infra dies triginta quoscunque noverint à Catholica Fide apostatas, alienos, & aberrantes; aut temerarias, & de hæreticali perfidia suspectas effutientes sententias; nec non eos, qui hæreticorum libros, vel hæresim continentes, aliosve in Indice ab Ecclesia proscriptos, legere, seù penès se retinere præsumserint, Nobis denuncient, aut saltem satagant denunciari; ut contra eos juxtà formam Juris per nos procedatur, proque suo merito justis poenis afficiantur.

II. Hinc etiam nostræ Sanctissimæ Fidei iindemntati, & Animarum Saluti consulere summopere cupientes, vetamus, ne quisque aut Scholasticas Theses, aut cujuscunque generis Problemata, aut Recitationes in propatulum afferre præsumat, nisi priùs à Nobis, vel à nostro Generali Vicario, licentiam obtinuerit, sub poenis pro nostro arbitrio infligendis.

III. Et quoniam ex debito Pontificalis Officii noſtrum eſt, non modò hæreticos; verùm etiam de perfidia quocunque titulo ſuſpectos à noſtra Eccleſia, non maculam neque rugam habente, omninò eliminare; Maleficos omnes, Veneficos, ſortilegos, ſtriges, alioſque hujuſmodi damnatis artibus deditos homines, & exercentes, aut exercere facientes, poena excommunicationis latæ ſententiæ, nobiſque reſervatæ, hac præſenti Synodali Conſtitutione affectos declaramus, nobiſque denunciandos mandamus.

IV. Omnes etiam quoſcunque Confeſſarios (utpotè de Fide Catholica non rectè ſentientes, eò quod Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis impiiſſimè abutantur, illiſque maximam faciant injuriam) qui ad inhoneſta perſonas quaſcunque ex ſibi confitentibus, ſive in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante vel poſt immediatè, ſeù occaſione vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, ſollicitare aut provocare tentaverint, eadem excommunicationis poena latæ ſententiæ, nobiſque reſervatæ, auctoritate qua fungimur, afficimus, affectoſque eo ipſo declaramus; quoſque ab ipſis ſollicitatis perſonis no-

bis esse denunciandos mandamus ; quæ si renuerint, Absolutionis beneficio privandas esse decernimus.

V. Sed ut hìc memoratarum Denunciationum Onus neminem fugiat, & quisque, ut par est, sine ullo prætextu suum obeat munus, distriċtè Parochis mandamus, sub pœna carolenorum quinque si omiserint, ut in prima Adventus, & Quadragesimæ Dominica, inter Missarum solemnia, Sanctæ Inquisitionis Edictum, in hujus Synodi Appendice adscribendum, quotannis Populo promulgent, & rudioribus explanent.

VI. Execrandum denique Blasphemiæ vitium de nostra Diœcesi abigere quammaximè exoptantes, præcipimus, ut iidem Animarum Curatores qualibet secunda Adventus, & Quadragesimæ Dominica, inter Missarum solemnia, in singulos annos, Edictum nostrum contra Blasphemos (quod etiam in eadem appendice positum videbunt) clara voce perlegant auditoribus.

TI-

TITULUS SECUNDUS.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

ORthodoxam Fidem corde, & ore profiteri, & interim Templa Deo dicata non custodire, sarta tecta non habere, debitoque cultu aut veneratione non prosequi, sacrilegum quidem esse, atque impium, ab omnibus exploratissimum habetur. Nostri igitur Pastoralis Officii partes adimplere etiam atque etiam in nostris votis habentes, hæc, quæ sequuntur, pro Sacrosanctis Summi Dei Ecclesiis, constituenda autumavimus.

CAPUT I.

De Ecclesiarum Ædificatione, & Restauratione.

I. QUamvis Summus omnium Creator, Coeli, & Terræ cùm sit Dominus, non in manufactis habitet templis, & Coelum sit sedes ejus, Terra autem scabellum pedum suorum; elegit tamen sibi in domos templa ista, quæ apud nos habemus, ut peculiari quadam veneratione cognoscatur, suaque Majestas commendetur, & Sacrosancta offerantur sacrificia. Ex quo quantùm Domus Dei decorem, & locum habitationis gloriæ suæ diligere, servare, atque apprimè augere debeamus, liquidò constat. Et quia sæpe sæpiùs experientia ipsa edocti sumus, nonnullas Ecclesias, earumque Altaria, eò quod nullam, aut certè exiguissimam dotem habuerint, debitum amisisse splendorem; propterea Decori Domus Dei in posterùm consulere satagentes, hac nostra Synodali Constitutione decernimus, ut nulli deinceps Ecclesiam

ali-

aliquam erigere liceat, quin saltem viginti scutorum annuam dotem constituat: Altaria verò non erigantur omninò, nisi sex, aut ad minus quatuor ducatorum dotem habeant in annum. Hæ tamen Dotes certæ, & liberæ sint, nec non Instrumento per publici Tabellionis manus confecto cautissimè firmatæ, cum inserta forma facultatis à Nobis obtinendæ, sine qua nulli unquam Ecclesias aut Altaria erigere, imò nec aliquid in ipsis innovare, secundùm Sacros Canones, volumus concessum (*r*).

II. In ædificandis Ecclesiis, præcipimus, ut Prospectus, situs, & separationis ab ædibus, quindecim saltem pedes, ut etiam Arcadius, & Theodosius Impp: sanxerunt (*s*), perfecta ratio habeatur. In earum pavimentis nulla Crux, aut alia Sacra imago sculpatur, aut depingatur; neque cujusvis generis inscriptiones, nisi à nobis probatæ, in iisdem apponantur; nevè demùm fenestræ, per quas in eas prospectus haberi possit, construantur; & nec sedilia aut scamna permanenter stabiliantur.

(r) *C. quicunque 16. q.1.c. lator. 16.q.5.c.quidem, 18.q.2.*

(s) *L.9.Cod. de Ædif.privat.*

III. Quùm Altaria erigenda sunt, inhibemus ne ædificentur sub Organo, aut

suggestu ; neque ubi Aræ Maximæ terga vertere celebrans debeat ; neque etiam juxtà aut supra sepulturas ; quatuor enim saltem palmos ab earum orificiis debent distare.

IV. Inhærentes autem Constitutioni S. Pii PP. V. quæ incipit, *Cùm Apostolatus*, distinctè vetamus, ne Defunctorum corpora in sepulchris supra pavimentum Ecclesiæ elevatis, aut ipso defosso, sed in tumbis profundis, ad ejusdem Constitutionis præscriptum, tumulentur. *Si* secùs, Ecclesiam ipsam Interdicto subiiciemus, ejusdemque Rectores ad nostrum libitum poenas dare cogentur.

V. Laudabile Campanæ signum in Aurora, Meridie, & Vesperi post solis occasum, pro salutatione Angelica recitanda, priscis à temporibus institutum, tàm in nostra Cathedrali, quàm in aliis nostræ Dioecesеos Matricibus Ecclesiis, nec non Regularium, confirmamus, atque observandum mandamus.

VI. Quoniam demùm Ecclesiæ Cathedrali, sive Matrici in Dioecesi semper præeminentiæ tribuendus est honor, nemo quà sæcularium, quà Regularium, in Sabbato

Sancto

Sancto Majoris Hebdomadæ, in propriis Ecclesiis, ante signum ejusdem Cathedralis aut Matricis, suas campanas audeat pulsare; sub pœnis in Constitutione Leonis PP. X., quæ incipit, *Sacro approbante*, contentis.

CAPUT II.

De Ecclesiæ cultu, & veneratione.

I. DOmum *Dei decet Sanctitudo, & Domus Orationis vocabitur*; nefas igitur est non modò nefandis operibus illam speluncam latronum facere, sed etiam levissimis quibuscunque illicitis actibus eam fædare; & ubi Angelorum Chori adorabundi contremiscunt, nos lutea vasa portantes ridere, loqui, aut jocari. Hinc zelo Domus Dei quammaximè commoti, & Domum Majestatis Dei glorificare apprimè desiderantes, interdicimus, ne ullus, cujusque sit gradus aut conditionis, in Ecclesia deambulare, circulos habere, negotia sæcularia pertracta-

re, cum mulieribus suspectis colloqui, congressus quoscunque, seù comitia, peragere præsumat. Qui contrafecerit, & monitus ad meliorem frugem redire posthabuerit, excommunicationis gladio persequemur; eos potissimùm, qui Concionum, Doctrinæ Christianæ, & Divinorum Officiorum temporibus, hæc aut similia patrare non verebuntur.

II. Et quia sæpenumerò ex effræni quarundam mulierum licentia, & insana vanitate (gravi elleboro certè medicanda) quæ non solùm non velato capite, ut præcepit Apostolus, sed etiam abominandam brachiorum, pectoris, atque humerorum nuditatem præseferentes, in Dei Ecclesias ingrediuntur, non sine magno nostri animi dolore Templa ipsa Petras scandali, montesque offensionis jam facta audivimus; ne deinceps in Domo Dei, ut polluatur, offendicula ponantur, & hujusmodi mulierum impudentiam coerceamus, Confessariis omnibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, inhibemus, ne easdem in nuditate pectoris, & brachiorum ad se pro confessione convenientes audiant; nisi fortasse pro prima vice, & præmissa seria emendationis sponsione. Quicun-

cunque demùm Sacerdotes Mulieribus sic incedentibus, atque ad Altare accedentibus, nullo modo Sacram Communionem impertiantur. Et ut hujus nostræ Synodalis Constitutionis mulieres ipsas non prætereat notitia, Parochorum erit inter concionandum in Missa sæpe sæpiùs ipsam enunciare.

III. Nemini insuper cum Scloppis, aliisve hujus generis tormentis bellicis, Ecclesiam ingredi, aut in ea morari permittatur: nec cuicunque sive viro, sive mulieri Sacris Altaribus hærere; aut chorum, officiorum tempore, intrare sit licitum; sub Interdicti ab ingressu Ecclesiæ interminatione.

IV. Quascunque Repræsentationes Sacras in Ecclesiis, sine speciali nostra, aut nostri Vicarii Generalis licentia, sub arbitraria pœna proscribimus. In eos verò, qui res venales externis Ecclesiæ parietibus appendere; aut rerum alienationis, aut locationis, aut demùm quaruncunque profanarum rerum schedulas ibidem, sive ad ejusdem valvas apponere audebunt, Interdicti pœna animadvertemus.

V. Parochi denique, & Ecclesiarum Rectores seù Custodes, nulli prorsùs, nisi

pro Sacramentis necessariò administrandis, nec post solis occasum, nec ante auroram, quovis prætextu, earundem fores audeant reserare, pœnas pro nostro arbitrio daturi. Quod etiam Regularibus sacra Episcoporum Congregatio observandum mandavit (*t*).

(t) *In Bitunt. 25. Jul. 1603.*

CAPUT III.

De Ecclesiarum Immunitate.

I. QUoniam Ecclesiæ Immunitate nonnulli ad ipsam confugientes indecenter quandoque abutuntur: Nos illius decorem, Majestatemque vindicare peroptantes, districtè ipsis Confugientibus interdicimus, ne arma in Ecclesiam inferre, uxores detinere, profanis operibus loca Sacra fædare ullo modo præsumant. Si secùs facere audentes experiemur, ad Juris præscriptum ipsos coercere non omittemus.

II. Quemadmodum nulli sæcularium Curiæ ministro, sine nostra, aut nostri Vicarii

carii licentia, Ecclesiasticorum domos quovis prætextu licet perquirere, & scrutari; ità ad communem utriusque Fori optatam pacem, & tranquillitatem fovendam, nec non Justi rectique leges servandas, cuicunque Ecclesiastico nostræ Jurisdictionis, sub pœna ducatorum viginti, piis usibus impendendorum, districtissimè vetamus, ne, in Vectigalium, Collectarumve fraudem, aliena sæcularium bona penes se custodienda, aut celanda habere audeat.

CAPUT IV.

De Archivo Ecclesiarum.

Ecclesiarum bona, quæ sine ullo dubio Jesu Christi, ejusque Ministrorum, & Pauperum sunt etiam Patrimonia, ut à Sacrilegis usurpatorum manibus vindicari, & primævo suo, legitimoque juri restitui, in eoque, prout oportet, inviolatè conservari possint, necesse est ut quæ pro bono Ecclesiarum regimine Apostolicis sunt sancita Constitutionibus (*u*), in hac nostra Diœcesi

(u) *Motus prop. Sixti V. 25. Apr. 1587. Concil. Rom. sub Bened. PP. XIII. tit. 12. c. 1.*

cesi observanda proponamus.

I. Capitulis igitur, Collegiis, atque Ecclesiarum, & Beneficiorum etiam simplicium, & de jure Patronatus, singulis Rectoribus, omnibusque Hospitalium, Confraternitatum, Congregationum, cæterorumque locorum piorum administratoribus hac præsenti Synodali Constitutione præcipimus, districtèque mandamus, ut bonorum omnium, ad eadem loca quavis ratione spectantium, nec non suorum onerum, Inventaria legaliter, & ad formam à Bened. XIII. in appendice Concilii Romani præscriptam, infra sex menses ab hujus Synodi publicatione, & approbatione, sub pœnis ad nostrum libitum infligendis, studeant perfecta exhibere.

II. Quamobrem ne scripturæ, per manus oberrantes, deperdi, vel iniqua usurpantium cupidine rapi aut occultari, non sine gravi Ecclesiarum detrimento, conspiciantur in posterum; Archiva in quaque Ecclesia, aut Piis Locis, ubi instituta non adsunt, intra idem tempus instituenda, ubi omnia Ecclesiarum monimenta tutò pro ipsarum munimento serventur, decernimus.

Sed

III. Sed ut tutò omnia fiant, volumus, ut quibuslibet Archivis duo Archivistæ cum duabus diversis clavibus præficiantur; qui periculo suo, prævio Inventario, omnia asservanda recipient. Ut tamen omnis in hujusmodi Archivis confusionis, aut fraudis umbra abigatur, itidem præcipimus, ut scripturis omnibus, quæ in ipsis servantur, compulsatis, recensitis, & summatis, Index seu Catalogus efficiatur.

TITULUS TERTIUS.

De Cultu Divino.

(x) c. 2.

F*Ides sine operibus mortua est*, Jacobus inquit Apostolus (*x*); atque hujusmodi Omnipotenti Deo (ad quem non auditores tantùm, sed factores Legis accedere oportet) neutiquam placere possumus. Sed inter nostræ vivæ Fidei Opera, Religionem, qua soli Deo cultum, obsequium, & reverentiam, ut operæ pretium est, reddimus ac exhibemus, jure quidem merito primas habere, nullus inficiatur. Et cùm ipsius Christianæ Religionis actus, qua internos, Ora-

Oratio, sacrificium, Festorum observantia, atque alia hujusmodi, in Sacrosanctis Dei Ecclesiis exhibenda potissimùm percenseantur; Ordo postulat, ut, quæ ad Ecclesiarum cultum pertinent, decretis, & sancitis, ad hæc ipsa nostri Pontificalis muneris consilia, & curam convertamus.

CAPUT I.

De Horis Canonicis, & Disciplina in Choro asservanda.

I. Nihil juvat Oratio, quam non comitatur Devotio, inquit Augustinus (y): Quùm igitur Horæ Canonicæ, seù Officium Nocturnum pariter, & Diurnum, Oratio sit ab Ecclesia instituta; ejusque nomine à suis Ministris ad Deum facienda, non modò ut debitus ei honor, laudisque sacrificium persolvatur, verùm etiam ut ipsi pro assiduis in nos beneficiis gratiarum officia reddantur, majori qua poterit devotione, sunt

(y) *L. de Spir. & an. c. 50. t. 3.*

omninò persolvendæ. Omnes igitur, qui hujusmodi Officio sunt deputati, dent operam, hortamur, & in virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut nedùm voce, sed etiam toto cordis affectu, *cantantes, & psallentes in cordibus suis Domino*, ut ait Apostolus (z), debitum pensum absolvant; nec ità se habeant, ut dùm voce psallunt, quidvis potiùs, quàm Deum, animo cogitare videantur; semper pro suis viribus caventes, ne propheticum illud audiant; *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me* (a). Qua de re psallant omnes distinctè, tractim, gràviter, sedatè, facientes pausam in Asterisco; neque verba transcurrentes aut syncopantes; sed decenti gestu, habituque, & composita claraque voce omnia pronuncient.

(z) Paul. ad Eph. 5.

(a) Is. c. 29.

II. Hoc tamen monitum volumus, & omninò observandum præcipimus, ut in Dominicis, aliisque festivis, & sollemnioribus diebus, majori cùm pausa, & vocis elatione Divina Officia recitentur. Sed ut omnia paucis expediamus, volumus ut dierum, & sollemnitatum semper ratio, & distinctio habeatur; pro quorum religiosa observantia

Chori

Chori Magistri conscientiam oneramus.

III. Et quoniam *stantes ad orationem, ut fatur D. Cyprianus, invigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis, & secularis abscedat; nec quicquam tunc animus cogitet, quàm id solum, quod precatur* (*b*). Propterea districtè inhibemus, ne dùm Divina recitantur Officia, aut Missæ cantantur, quæ etiam Officii sunt partes, literas, scripturas, aut aliud impertinens legere, nugari, ridere, huc illuc vagari, alium sine necessitate compellare, aut alloqui, per templum deambulare, aut cum Laicis colloquendo tempus terere, quisquam præsumat. Neque itidem, cùm commune Officium persolvitur, vel missa cantatur, privatim Officium recitet; sed unà simul cum aliis Divinas laudes recitet, concinat, Deumque glorificet. Quicunque sui muneris immemores in istis deliquerint, & moniti à Magistro Chori non acquieverint, tanquam absentes fructus suos non facere declaramus; ejusdem Chori Præfecti, nec non Punctatorum conscientias oneramus. Flores verò, ramos, chirothecas, & flabella in manibus habere, cùm in Choro commorantur, Summi

(b) *Relatis in Can. quando autem, de Consecrat. dist. 2.*

mi Dei Ministros nefas omnino esse quis unquam inficiabitur? Hujusmodi igitur omnia, sub unius aurei multà, longè à nostris Choris proscribimus.

IV. Adhæc, ut in Choro nihil præposterum, nihil inordinatum, nihilque indecorum appareat, sed uno spiritu, uno corde, una eademque actione, omnes Deum laudare, & benedicere, Populo appareat; æqualitatem in stando, sedendo, caput inclinando, aperiendo, aut operiendo, aut demùm in genuflectendo, prout temporis, & Officiorum ratio postulat, & Episcoporum Cæremoniale præscribit, numeris omnibus, atque ad unguem servandam districtè præcipimus.

V. Hebdomadarius, nisi saltem sex in Choro præsentes fuerint, aut quatuor in aliis Ecclesiis paucos Sacerdotes habentibus, nunquam Divinum Officium incipiat, sub pœnis pro nostra voluntate dicendis. Neque quisquam, nisi omninò Horis Canonicis absolutis, de Choro exire audeat; alioquin distributione illius ultimæ Horæ privetur. Cùm verò inter Divinorum Officiorum recitationem, sive ad Missam celebrandam, sivè alterius rei causa, exeundum erit; nemo sine

ve-

venia, à Chori Magistro per salutationem petita, sub pœna punctationis, egredi præsumat. Cujus etiam Præfecti Officium erit, ita Missarum celebrationem inter Officia distribuere, ut & Chori servitio, & Populi commodo, festivis præsertim diebus, unà simul prospiciatur.

VI. Laudabilem hujus nostræ Cathedralis consuetudinem Beatissimæ Virginis Mariæ parvum Officium quibusque diebus recitandi, exceptis festorum duplicium, infra Octavas, & majoris Hebdomadæ diebus, summoperè laudamus, atque approbamus.

VII. Consuetudinem illam, tàm hujus Cathedralis Ecclesiæ, quàm nostræ Diœceseos Collegiatarum, in Divinis Officiis utcunque sollemniter cantandis, ne latum quidem unguem mutare cupientes, hac nostra Synodali Constitutione approbamus, & in posterùm adamussim servandam mandamus. Proinde, ut semper constans servetur ordo, nihilque ad libitum cujusquam innovetur, præcipimus, ut in quolibet prædictarum Ecclesiarum Sacrario hujusmodi Officiorum descripta Tabella in perpetuùm habeatur.

VIII. Quum in hac nostra Cathedrali plura

plura per annum Officia de præcepto eodem die fixa occurrant, itaùt quorundam sit perpetua translatio; inhærentes Sacræ Rituum Congregationis emanatæ Constitutioni (*c*), primam diem proximam ab alio novem lectionum Officio non præpeditam, etiamsi sit Dominica, assignatam in perpetuum, respectivè, pro Festi translati propria die habendam decernimus, & hujusmodi etiam in nostræ Diœceseos Ecclesiis, respectivè pro perpetua aliorum Festorum translatione, suorum peculiarium Festorum occasione, faciendum esse, & tabellam in Sacrario ad id negotii perpetuò habendam, pronunciamus. Pro nostra igitur Cathedrali hoc modo assignamus. Die 25. Maii, S. Urbani PP., & M. dupl. majus = 27. ejusdem mensis, S. Mariæ Magdalenæ de Pazziis, Virg. dupl. min. = Die 28. ejusdem Maii, S. Gregorii PP. VII. dupl. min. = Die 31. Mensis Augusti, Dedicationis Cath. Eccl. dupl. 1. Clas. cum Octava. = Die prima Septemb. S. Raymundi Nonnati, dupl. min. = Die 19. Mensis Novemb. S. Pontiani PP., & M. dupl. 1. clas. cum Octava = Die 24. ejusdem Novemb. S. Elisabeth Viduæ, dupl. min.

(c) 18. *Octobris 1696.*

IX.

IX. Districtè demùm præcipimus, & mandamus, ut omnes hujus Diœceseos Collegiales Ecclesiæ Horariam Tabellam, pro congrua Divinorum Officiorum recitatione, quam hæc nostra Cathedralis, à nobis revisam, & ad meliorem formam redactam, in præsens habet, in posterùm observent, quam in Appendice adscribendam volumus; & quæque in suo Sacrario in propatulo ponat. Nihil tamen innovandum dicimus, si propriam à S. Sede habeant approbatam.

CAPUT II.

De Missarum Celebratione.

I. QUoniam cujusque est ea gratia, quam accepit, opportunè uti, inquit D. Thomas (*d*), ne Summi Dei Gratiam in vacuum accepisse videatur; & Sacrificium offerendi opportunitas non modò per comparationem ad Fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed potissimùm per comparationem ad Deum, uti consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur, per-

(d) *3.p.q. 82.art.10.*

perpendi debeat; certum quippe est, haudquaquam cuique Sacerdoti licere omninò à Missarum celebratione cessare. Inhærentes igitur tanti Doctoris consilio, & Sacri etiam Tridentini Concilii Constitutioni (*e*), singulis Sacerdotibus, cujuscunque sint gradus, conditionis, & dignitatis, præcipimus, ut saltem diebus Dominicis, & Festis sollemnibus, Missam celebrare non omittant. Curam verò animarum habentibus, ut saltem ter in hebdomada, ni loci consuetudo, vel necessitas crebriorem Divini Sacrificii usum postulaverit, celebrandum mandamus.

(e) *Sess.* 23. *de reform.* c. 14.

II. Quanta autem cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile æstimare poterit, inquit Concilium Tridentinum (*f*), qui cogitarit maledictum in sacris literis eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessariò fatemur nullum aliud opus adeò Sanctum, ac Divinum à Christifidelibus tractari posse; quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam paret, omnem ope-

(f) *Sess.* 22. *de Sacrif. Miss.*

operam, diligentiamque in eo ponendam esse, & quantamaxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exterioris devotionis ac pietatis specie peragatur.

III. Hinc in proclivi est dignoscere, quantùm Deum ipsum, cujus sunt Ministri, inhonorent, gravique afficiant injuria, ac suammet dedecorent dignitatem, gloriæque officiant Sacerdotes illi, qui non Deo, in cujus sortem sunt vocati, sed sæculo, ejusque pompis, & voluptatibus viventes, officium quidem Sacerdotale suscipientes, opus verò Officii non implentes, nulla prorsùs devotione, modestia, & gravitate hoc Sacrificium Sanctissimæ Triadi offerre dignantur: sed ità festinanter omnia persolvunt, sacros ritus, & cæremonias ità confundunt; ut potiùs ludicra scænica, quàm Sacrosancta, & Divina Mysteria pertractare; potiùs Domini Majestatem ridere, & illudere, quàm præsentem venerari, cum gravi omnium scandalo, videantur. Perpendant igitur Sacri Altaris Ministri, & diù multùmque recogitent, ad Altare quid faciant, cui sacra offerant, quod manibus pertrectent; & quàm districtè ab eo ipso, quem tanta afficiunt injuria, qui-

que justitias judicabit, & Jerusalem in lanternis scrutabitur, sint judicandi.

IV. Nullus Sacerdos, recens ad Presbyteratus Ordinem promotus, sine nostra licentia, sub pœnis ad nostrum arbitrium infligendis, primam Missam audeat celebrare. Ludos autem omnes, choreas, atque omne inanium oblectamentorum genus, cæterosque abusus omnes, qui in Novæ, ut vocant, Missæ celebrationem irrepserunt, pœna itidem nobis arbitraria, proscribimus, & omninò in posterùm interdicimus.

V. Quoniam non semel Ignotos quosdam, & vagos errones, ac furciferos viros, Missæ sacrificium, non sacerdotio insignitos, sacrilegè peregisse, experientia ipsa compertum est, nostrisque auribus audivimus; nè fortè in hac nostra Diœcesi tàm nefanda sacrilegia per incuriam perpetrentur, mandamus omnibus Archipresbyteris, Parochis, Ecclesiarum Rectoribus, & Vicariis, præsertim Foraneis, ut nulli extero, & peregrino, sivè sæculari, sivè Regulari, se sacerdotem asserenti, facultatem Sacra Mysteria celebrandi ullatenùs concedat, nisi à nobis, aut à nostro Generali Vicario, vel Foraneis, visis,

ſis, & conſideratis literis teſtimonialibus ſuorum Ordinariorum, ſive Superiorum, hujuſmodi facultas in ſcripto eiſdem fuerit conceſſa. Qui secùs fecerit, pœna trium aureorum multabitur. Regulares verò, qui huic Synodali Decreto obtemperare renuentes, exteros in ſuis Eccleſiis, ſine prædicta licentia, celebrare permiſerint, eaſdem Eccleſias Interdicto obnoxias videbunt.

VI. Nullus etiam ſivè Sæcularis, ſivè Regularis Sacerdos, in Sanctimonialium Eccleſiis, ſine noſtra, aut noſtri Generalis Vicarii facultate, celebrare præſumat; ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis, Nobiſque reſervatæ, ipſo facto incurrenda. Exceptis tamen ſollemnioribus diebus, in quibus ſcilicet ſui Ordinis Sanctorum Feſta de præcepto, aut ex animi devotione, ſollemni ritu celebrantur; nec non iis diebus, in quibus pro Obitu, aut depoſitione alicujus Sanctimonialis Exequiæ fiunt.

VII. Unaquæque Eccleſia noſtræ Diœceſios, præter Miſſarum Tabellam, Librum etiam quotidiano uſui paratum in Sacrario habeat, in quo ſinguli Sacerdotes, qui in ea Eccleſia ſacrificium obtulerint, Miſſam à ſe

tali die celebratam adnotent, & cujus oneris ratione celebraverint, propriæ manus subscriptione testentur (*g*). Ecclesia verò Cathedralis, & Collegiatæ quæcunque, præter prædictum Missarum librum, duos alios habeant; in quorum altero Anniversaria, aut alius generis Missæ; in altero Missæ Conventuales conscribantur. Et quoniam in nostris Ecclesiis quædam Cappellæ, aut Altaria, sive de jure Patronatus, sive quocunque alio titulo erecta, Missarum onera nonnulla habentia reperiuntur, mandamus, ut suos quæque libros, pro earundem Missarum celebratione atque adnotatione, quamprimùm conficiant, dummodò non extiterint; & in earundem Eccclesiarum Sacrario cum aliis nuper memoratis libris conservent; sub pœnis pro nostra voluntate inferendis.

(g) *S.Congr.Concil. sub Alex. PP.VII.*

VIII. In perpetuis Missarum oneribus suscipiendis, quæ à Sacra Concilii Congregatione sub Urbano PP. VIII. sancita sunt, & ab Innocentio PP. XII. iterùm sunt confirmata, ne videlicet Nobis inconsultis suscipiantur, sub pœna Interdicti ab Ecclesiæ ingressu, ipso facto incurrenda, ad unguem observanda præcipimus.

In

IX. In noſtra Cathedrali Eccleſia, ad Auroram, pro Populi commodo, in Dominicis, aliiſque feſtivis diebus, Miſſa celebretur ab eo, qui Beneficium ſub titulo Sancti Pontiani de jure Patronatus Lombardorum Familiæ obtinet: Ad meridiem verò, poſt Officiorum abſolutionem, qui Miſſarum onus in Altari S. Joannis Baptiſtæ, in ipſa Cathedrali erecto, ſatisfaciendum ſubit, miſſam celebret: Quam hujuſmodi miſſarum celebrationem, ad Auroram ſcilicet, & ad Meridiem, in quacunque Eccleſia Collegiata, aut Matrice hujus noſtræ Diœceſis, obſervandam mandamus. In quibus tamen Receptitiis Eccleſiis mos eſt, ut qui ad Auroram celebrat Miſſam, tanquam præſens in Choro habeatur, & diſtributiones lucretur, tunc dumtaxat valere declaramus, cùm verè tunc temporis celebrat: ſi enim orto jam ſole celebraverit, hujuſmodi privilegio non gaudere pronunciamus.

X. Dùm in Cathedrali, aut in alia Eccleſia, Miſſa Pontificalis per Nos agitur, aut Nobis aſſiſtentibus ab alio ſollemniter celebratur, alias Miſſas privatas ante Pontificalem benedictionem in eadem Eccleſia

nullo

nullo pacto volumus celebrari (*h*). Neque in eodem Altari, quo sollemnem celebravimus Missam, quisquam eodem die, sine nostra licentia, sub pœna ad nostrum arbitrium inferenda, celebrare præsumat.

(h) *Ex C. & hoc attendend. de consecrat. dist.* 1. *Concil. Mediol. quart. p.* 2. *tit. quæ pertinent ad S. Miss. Sacrif.*

II. Diebus Dominicis, aliisque Festis de præcepto, nec non in Sanctissima Nocte Natalis D. N. J. C., in majori Hebdomada, & quotiescunque in nostra Cathedrali Ecclesia sollemni ritu Pontificalia peragemus, omnes hujus Civitatis Sacerdotes, cujuscunque ordinis aut gradus Clerici, cum superpelliceis in eadem Ecclesia interesse curent; atque onus assistentiæ tàm in missa, quàm ad primas, & secundas Vesperas, cùm opus fuerit, satagant obire; ut jam ex inveterata, atque immemorabili consuetudine usque adhuc observatum comperimus; & in posterum exequendum, sub pœna duarum librarum ceræ elaboratæ, hoc nostro Synodali Decreto decernimus. Ex cujus etiam vi consuetudinis, & Decreti, atque sub eadem pœna, in omnibus Processionibus publicis studeant eodem modo interesse. Clerici verò in minoribus quotidie in eadem Cathedrali Sacrificio inserviant, cùm Di-

Dignitates, & Canonici sunt celebraturi; aliter, eadem pœna, aut alia nobis arbitraria, multabuntur.

CAPUT III.

De Festorum dierum cultu.

I. MEmento, ut diem Sabbati Sanctifices, inquit Dominus (i); Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; septima autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo; sex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia, quæ in eis sunt; & requievit in die septimo; idcircò benedixit Dominus Diei Sabbati, & sanctificavit illum. Hinc magna devotione, & pietate sanctificandos esse Dominicos, festosque Dies, & maximè religiosos cunctis Christifidelibus habendos, est omninò compertum. Si enim Dies Domini sunt, eique penitùs dicati, non modò quæcunque servilia opera, & præsertim peccata, quæ magis servilia sunt, oportet omittere; sed etiam omninò orationibus insistere, Divino cul-

(i) Exod. c. 20.

cultui inservire, Missæ, Divinis Officiis, & Verbi Dei prædicationi adesse, totumque talium dierum tempus Deo, & Animæ impendere est necesse.

II. Sed quia circa hoc tertium Decalogi Præceptum non mediocres audivimus perpetrari transgressiones, ut tanto malo, ut par est, quammaxima occurramus diligentia, operæ pretium esse duximus, ut hic peculiaribus pro recta Festorum observantia edicendis decretis supersedentes, Edictum dumtaxat vernacula lingua conscriptum, hujus Synodi Appendici addamus; quod bis in annum, Dominica videlicet secunda Novembris, & secunda post Pascha, à Parochis omnibus inter Missarum sollemnia publicandum mandamus; quod si omiserint, pœnam quinque carolenorum luent.

III. Eosdem animarum curam gerentes in Domino hortamur, ut præter occurrentium Festorum prænunciationem quaque Dominica ab ipsis faciendam, Paræcinnos suos sæpenumerò in concionando, ad piè sanctèque Festa colenda, pensi habeant commonere.

CA-

CAPUT IV.

De Jejuniorum observantia.

INter alia, quæ ad Deum promerendum, atque in nos propitium reddendum mirandum juvant in modum, est profectò in jejuniis animas nostras humiliare, Orationem cum jejunio unire, in jejuniis, & orationibus in conspectu Domini permanere (k). Sed si unquam sanctiùs servandum Jejunium mandatur, Quadragesimali quidem tempore id erit. Quapropter ut ejus observantia ab omnibus habeatur, & quorundam ignorantiæ opportunè prospiciatur, hac Synodali Constitutione districtè Parochis omnibus præcipimus, ut in singulos annos in Dominica Quinquagesimæ, & Prima itidem Quadragesimæ, inter Missarum sollemnia, Edictum nostrum pro recta jejuniorum observatione emanatum, atque hujus Synodi Appendici insertum, sub quinque carolenorum pœna, Populo promulgent; nec non alia infra annum occurrentia jejunia, quaque Dominica post Missæ Parochialis Evangelium prænuntiare non omittant.

(k) *Ps.* 35. *Tob.* 12. *Judith.* 4.

TITULUS QUARTUS.

De Sacramentorum administratione.

SEptem Sacramenta novæ Legis ab omnium Reparatore D. N. Jeſu Chriſto inſtituta, Baptiſmus ſcilicet, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, ſunt veluti quædam ſeptem Columnæ, ex Petra, Chriſto, exciſæ, quibus noſtra Catholica Mater Eccleſia ſuffulta conſiſtit; aut veluti quidam tramites illius aquæ immenſæ, de qua Spiritus Sanctus in Sacris literis loquitur; à quibus multifor-

mis

mis Gratiæ Dei in nos omnes Aquæ emanant, ut divinus cecinit Vates, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (l). Per ipsa enim, ut ait Concilium Tridentinum (m), omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.

(l) *Isai. c.* 12.

(m) *Sess.* 7. *in Decr. de Sacram.*

Hinc quænam vitæ Sanctimonia, quæ Conscientiæ puritas, quæ Corporis compositio, & gravitas, & quænam denique Sacrorum Rituum exacta observantia in Sacramentorum Ministerio sit adhibenda, Sancta enim sanctè tractanda sunt, omnes habent exploratum. Perpendant igitur omnes Ecclesiæ Ministri, & seriò pensent quonam modo hæc Novæ Legis Sacramenta ministrent, si à veteris Testamenti Sacerdotibus, & Levitis tantum Sanctitatis, & puritatis Omnipotens Deus exquirebat, ut ex Sacris Literis satis superque compertum habetur.

CAPUT I.

De Sacramento Baptismi.

I. QUoniam Baptismus est in Ecclesiam Christi ingressus, sine quo nulli unquam ad Cæleste Regnum aditus patet; idcircò præcipimus, ut quam citissimè fieri poterit, suos liberos baptizandos Parentes curent; neque diù Susceptores aut Patrinos expectent, ne dùm in vana ad Baptismum pompa apparanda tempus teritur, animas Christi sanguine redemtas maximo, gravissimoque periculo, è quo emergere nunquam possint, per summam temeritatem, & stultitiam exponant. Hinc severè inhibemus atque interdicimus, ne hoc ad æternam salutem consequendam tàm necessarium Sacramentum, quovis prætextu, ultra tertium diem, nisi aliter Nobis visum fuerit, protrahatur. Curæ igitur Parochorum erit de hoc Infantis Parentes commonere; qui si moniti morem gerere neglexerint, Excommunicationis gladio eos feriendos interminamur.

II. In

II. In propria Parochiali Ecclesia, ubi Fons est Baptismalis, quemque esse baptizandum à proprio Parocho, non autem ab alio Sacerdote, sine nostra licentia, & ejusdem Parochi permissu, decernimus. Parentes verò, qui ad proprium libitum in alienam Parochiam puerum baptizandum deferre ausi fuerint, ipso facto excommunicationi subjectos declaramus: In Oratoriis privatis hoc Sacramentum administrari, sine nostra, aut nostri Vicarii Generalis licentia, omninò prohibemus. Et quanquam urgente necessitate, & Infantis vitæ periculo, in privatis domibus à quolibet baptizari posse, servato tamen præsentium personarum ordine, nullus unquam inficias eat; nihilominùs mandamus, ut cùm primùm licebit, in Ecclesia coram Parocho puer ipse sistatur; qui ubi illum ritè baptizatum fuisse compererit, Sacras tantummodò cæremonias, absque ulla, nec sub conditione quidem, Formæ Baptismi reiteratione, ut ex Sacri Concilii Tridentini Cathechismo evidentissimè constat (*n*), juxtà Rituale Romanum supplebit.

(n) *De Bapt.§.56.*

III. Expositos verò quoscunque, etiamsi schedulas collo appensas, ad susceptum Baptismum

mum exprimendum conscriptas habeant, Parochis mandamus, ut eorum certam Christiani nominis faciant vocationem, & quatenùs aliundè de eorum expiatione, & salutari lavacro non constet, illos denuò sub conditione baptizent; videlicet, *Si tu es baptizatus, Ego non te baptizo; & si nondum es baptizatus, Ego te baptizo in nomine &c.* Hoc enim modo ex altera parte frustrationis Sacramenti periculo, & ex altera incertitudini æternæ parvulorum salutis occurrent.

IV. Cùm Christianorum infantes per Regenerationis lavacrum Filii iræ esse desinant, & Filii Lucis in Domino constituantur, quæ Christianæ militiæ dantur nomina, ad invocationem certè cælestium Tutelarium ex Ecclesiæ institutione imponuntur. Ideoque omnes utriusque sexus Christifideles hujus nostræ Diœceseos in Domino hortamur, ut suos infantes dumtaxat Sanctorum nominibus nuncupent in Baptismo. Parochis autem præcipimus, ne alia Baptizatorum nomina, quàm hujusmodi, recipiant; & in Libro ad id parato ne conscribant; sub pœnis pro nostra voluntate infligendis.

V. Laudabili Tridentini Concilii decre-

creto (*o*), quo spiritualis cognationis impedimento providere volens, Patrinorum numerum præfixit, præcipimus, ut unus tantùm, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, & una Baptizatum de Baptismo suscipiant; quod Parochorum curæ relinquimus: Quorum etiam sit, inter quos Spiritualis Cognatio oriatur, edocere.

(o) *Sess. 24. de refor. Matrim. c. 2.*

VI. A Patrinorum tamen officio eos omnes, qui nostræ Fidei principaliora Mysteria ignorant; Infideles etiam, & Hæreticos; publicè Excommunicatos, aut Interdictos; publicè criminosos, aut infames; quique mente non sunt compotes, & qui Sacro Chrismate non sunt confirmati, abigendos esse declaramus. Itidem Regulares omnes utriusque sexus ab hoc munere arcemus, (*p*); nec non Clericos omnes, cujusque gradus, Ordinis, aut Dignitatis sint, sine nostra, aut nostri Vicarii Generalis permissione. Omnes autem Patrini saltem sint in pubertatis ætate, idest decimo quarto anno completo pro maribus, & duodecimo pro fæminis matrinis; sicut ex Rituali Romano habetur (*q*).

(p) *Can. non licet Abbati, de Consecr. dist. 4.*

(q) *De Sacr. Baptismi tit. de Patrin.*

VII. Quia grave, & immane facinus est,

est infantes per illorum imprudentiam suffocari, qui eos ne annum quidem natos in lecto sine ullo obice aut impedimento benè tuto audent detinere; idcircò peracto Baptismate, de hoc Parentes commonere haud negligant Parochi; iisdemque denuncient, se grave scelus patrare, si non debita cautione infantes in lecto detinuerint; cujus peccati absolutionem Nobis reservatam pronunciamus.

VIII. Expleto demùm puerperii tempore, Mulieres enixæ pro recipienda benedictione, in Rituali Romano præscripta, Ecclesiam adeant Parochialem, non autem Regularium; ut Sacra Rituum Congregatio declaravit (*r*); & felic. record. Clemens Papa XI. approbavit, confirmavitque (*s*). Si Regulares huic nostræ Constitutioni refragantes, Puerperas in suis Ecclesiis benedicere ausi fuerint, easdem Ecclesias Interdicto subjiciemus. Nullus verò Parochus, aut quilibet Sacerdos, domum Puerperæ, ad hujusmodi benedictionem impertiendam, sub pœnis nobis arbitrariis, adire præsumat.

(r) 10. *Decembr.* 1703.

(s) 12. *Januar.* 1704.

CA-

CAPUT II.

De Sacramento Confirmationis.

QUanquam ad ſalutis æternæ conſecutionem hoc Confirmationis Sacramentum haudquaquam abſolutè ſit neceſſarium; nihilo tamen minùs à nullo, quoad ejus fieri poterit, eſt prætereundum; cùm per ipſum Divina munera nobis tàm largè impertiantur; quodque omnibus communiter ad Sanctificationem Deus propoſuit, ab omnibus etiam ſummo ſtudio ſit expetendum.

I. Hinc mandamus, ut cùm tempus adminiſtrandi hujus Sacramenti per Nos indicetur, Parochi omnes, quinam ſint confirmandi, diligenter inquirant; eoſque ad illud dignè ſuſcipiendum numeris omnibus inſtruant, & in Doctrinæ Chriſtianæ ſcientia examinent; cujus teſtimonium, ut ſupra præcepimus (*t*), in ſcripto ad nos deferant. (t) *Tit.* 1. *c.* 1. *n.* 8.

II. Parochorum etiam ſedulitati, qua ſibi creditum Chriſti Gregem paſcere oportet, commendamus, ut qui adulta ætate ſunt confirmandi, ad Metanææ, ſeù Pœni-

tentiæ Sacramentum priùs dirigant, ut hujus peculiarem Sacramenti Gratiam consequi possint. Confirmandi sint jejuni, cùm mane confirmentur; neque de Ecclesia, nisi nostra benedictione accepta, egrediantur.

III. Quæcunque de Patrinis ad Baptismum non adhibendis, in præcedenti Capite decrevimus, eadem omninò hìc observanda, nec non alia, quæ in Pontificali præscribuntur, sancimus. Puellæ verò hoc Sacramentum suscepturæ, & Commatres seù Matrinæ sustentantes, majori, qua poterunt, vestium compositione, ac modestia, studeant accedere; immodestum enim, incompositumque habitum deferentes, nullo pacto admittendas esse profitemur.

CAPUT III.

De Sacramento Eucharistiæ.

SAcrosanctum hoc Eucharistiæ Sacramentum, quo Jesu Christi corporis, & sanguinis, ex ineffabili Divina Munificentia, participes efficimur, eundem omninò effe-

ctum

ctum quoad animæ vitam impensè operatur, quem quidem materialis cibus, & potus quoad vitam, sustentando scilicet, augendo, reparando, & delectando, peragunt corporalem. Sumi enim voluit Salvator noster, discessurus ex hoc Mundo ad Patrem, Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit, *Qui manducat me, & ipse vivet propter me* (u); *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos* (x): Et tanquam antidotum, quo à quotidianis culpis liberentur Fideles, & à lethalibus peccatis præserventur.

(u) *Joan.* 6.

(x) *Matth.* 11.

I. Eamobrem tantum utilitatis perpendentes, quammaximè hortamur omnes singulosque Parochos, necnon Confessarios, ut ad hujus Sacramenti frequentiam suos Parœcianos, & Pœnitentes incitandos curent; dantes autem operam, ut quisque dignè, pro devotionis, & præparationis modo, rariùs, aut crebriùs, Dominici Corporis suavitatem degustet.

II. Hinc etiam iisdem Parochis mandamus, ut sæpenumerò inter Missarum sol-

lemnia in diebus Dominicis Populum suæ creditum curæ de digna hujus Sacramenti susceptione, toto paternæ dilectionis nisu, instructum reddere studeant. Præsertim verò Quadragesimali tempore, non solùm Sacræ annuæ Communionis præceptum prænuntiantes, quod à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè perdurat, quodque qui adimplere neglexerit, Interdicto ab Ecclesiæ ingressu per Nos subjicietur: sed etiam pueros, ac puellas, cùm primùm ad hoc tàm salubre Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum invitantur, perdocentes. Perpendere enim oportet, serióque est ipsis pensandum, quod de omni sui Officii omissionis culpa, quantumvis levissima, districtam sunt Deo rationem reddituri.

III. Præterito autem Præcepti Paschalis tempore, ut omnes Sacræ Synaxios perduellium fraudes detegere, gravissimoque peccatorum, in quo dormiunt, veterno, consulere opportuno tempore valeamus, districtè præcipimus, ut omnes iidem Animarum curam gerentes suos Paræcianos de hujus Paschalis Communionis præcepto diligentissimè perquirant, & schedulas singulis eadem Com-

Communione refectis, tanquam salutis tesseras, impertitas, exactissimè colligant. Adveniente verò Sacratissimo Pentecostes Festo, una cum animarum statu, ut dicitur, eorum omnium, qui ad Agni nuptias in Sacra Synaxi Ecclesiastico præcepto vocati, venire recusarint, accuratissimum Elenchum ad Nos deferant, mandamus.

IV. Monemus insuper nostræ Diœcesis Parochos, ut etiamsi Confessariorum deferant testimonium, ab hujus augustissimi Sacramenti perceptione publicos Peccatores, publicos nimirùm Concubinarios, Meretrices, Usurarios, Magos, Sortilegos, Blasphemos, Excommunicatione, aut Interdicto affectos, aliosque id generis publicè facinorosos homines, viriliter, & religiosa fortitudine, nulla prorsùs cujusque habita ratione, expellant, arceantque. *Non pauca enim imminet pœna Sacerdotibus*, inquit Chrysostomus, *si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei hujus mensæ participationem permittant; Sanguis enim ejus ex manibus requiretur eorum: non de Ignotis, sed de notis hæc disputo* (y). Quinimmò tandiù eis Sacræ Eucharistiæ participationem differendam jubemus, quoad

(y) *Homil.83. in Matth.*

No-

Nobis revera ad meliorem frugem eosdem rediisse constiterit.

V. Quùm ex cap. omnis utriusque sexus, de pœnit., & remis. constet, unumquenque in propria Parochia Sacræ Communionis præcepto facere satis debere, ut saltem hoc Paschali tempore Animarum Pastores vultum pecoris sui cognoscant, annuumque propriæ Matri obsequium etiam à Filiis durioris cervicis impendatur; præcipimus ac mandamus, ut omnes, qualescunque fuerint, in sua propria Parochiali Ecclesia hoc Præceptum adimpleant. Si secùs, tanquam eidem Præcepto non satisfacientes, Interdicti pœna prosequemur. Qui verò ex proprii Parochi, aut nostræ Curiæ licentia in scriptis exarata, in aliis quibuscunque Ecclesiis Sacra communione reficientur, ritè huic præcepto satisfecisse declaramus.

VI. Quamplurimis Sacræ Congregationis Concilii Decretis inhærentes (z), quibusque hujus nostræ Diœcesios Regularibus inhibemus, ne in Dominicæ Resurrectionis die Sacræ Eucharistiæ Sacramentum cuivis, etiam Tertiariis (a), nullo suffragante prætextu, sub pœnis pro nostro arbitrio in-

(z) 23. *Januar.* 1586 14. *Martii* 1615.

(a) *S.C. Ep.* 1616.

infligendis, administrare præsumant.

VII. Famulos quoque Sæculares, Monasteriis inservientes, in Parochiali Ecclesia paschalis Communionis præceptum adimplere, nec non Simpulatrices Mulieres, quæ vulgò *Pinzochere* nuncupantur, sub interdicti pœna, debere decernimus, sicut etiam Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum declaravit (b). (b) 20. Feb. 1576.

VIII. Cùm ad infirmos Sacratissimum hoc Sacramentum deferri oportet, ea omnia, quæ in Rituali Romano, & multis in Sancta Visitatione per Nos emanatis Decretis præscripta sunt, religiosissimè servanda præcipimus. Hæc tamen duo haud silentio prætereunda autumamus. Primùm Parochos nostros commonemus, ut ægrotantibus, etiam sine mortis periculo, Sacræ Eucharistiæ frequentiùs sumendæ flagrantibus desiderio, iis potissimùm, qui dùm integra sunt valetudine Eucharistico pane sæpiùs reficiuntur, tàm salubre adjumentum haudquaquam denegent. Quod si per negligentiam secùs fieri, quàm volumus, intelligemus, ipsorum socordiam opportuna animadversione corripiemus. Deinde, ut ad Ecclesiam cum Sacra-

cramento redeuntes, data, ut moris est, benedictione, Associantibus impertitas Indulgentias denuncient; quarum Epitomen in hujus Synodi Appendice adscribendam curabimus.

IX. Nemo autem quà Sæcularium, quà Regularium, hoc Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum publicè, & sollemniter in Ecclesia adorandum, sine nostra, aut Nostri Vicarii licentia in scriptis exarata, audeat exponere. Si verò pro particularibus personis exponendum erit, in Ciborii ostiolo, & in pyxide velata, cum debitis luminibus, & Assistentia, exponatur; ut Sacra Episcoporum Congregatio sanxit (*c*). Qui secùs fecerint, nostro arbitrio plectentur.

(c) *7. Septembr.* 1598.

CAPUT IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. QUùm munus audiendi Fidelium Exomologesin, seù Confessionem, longè sit difficilius, quàm primo forsan appareat intuitu; maximam enim, & Doctrinam, nec

nec non vitæ exemplaritatem requirit: hinc ſapientiſſimè factum eſt, ut præter eos, qui ordinariam hujus Metanææ Sacramenti adminiſtrationem habent, nullus tàm Sæcularium, quàm Regularium Sacerdotum, ſub pœnis à jure latis, Confeſſiones Fidelium excipere poſſit, & peccata abſolvere, niſi per Nos, prævio examine, fuerit approbatus. Sed quia antiquam Eccleſiæ diſciplinam, qua majorum quorundam criminum abſolutionem primi Ordinis Sacerdotes ſemper ubique ſibi præcipuam reſervarunt, ſartam tectam cuſtodire noſtro muneri ſummoperè incumbit, diſtrictè inhibemus atque interdicimus, ne ullus ſivè Sæcularis, ſivè Regularis, etiamſi aliundè à Caſibus Sanctæ Sedi reſervatis abſolvendi facultatem habuerit, in Caſibus Nobis reſervatis, præterquàm in mortis articulo, pænitentes abſolvere præſumat; ne abſolutionem ipſam irritam faciat omninò, ipſoque facto ſuſpenſionem ab audiendis deinceps Confeſſionibus, aliaſque pœnas a Summis Pontificibus præſcriptas, incurrat. Et ne quid ignoranter ſibi non ſuæ facultatis Confeſſariis ipſis contingat arrogare, præcipimus, ut quiſque Bullam in

Cœna Domini, & alios Casus Summo Pontifici, & Nobis; quavis ratione reservatos, quos in Appendice adscribendos curabimus, sæpissime perlegat, perpendatque. Sed ut eorundem Confessariorum memoriæ consulamus, omnes hujusmodi Casus in quaque confessionali sede affigendos mandamus.

II. Quoscunque Confessarios ad audiendas omnium utriusque sexus Confessiones approbatos, nequaquam pro excipiendis quarumcunque Sanctimonialium Confessiones esse destinatos declaramus, ut Clemens PP. X., & Gregorius PP. XV. apertissimè sanxerunt. Qui autem secùs facere ausi fuerint, eo ipso ab audiendis Confessionibus suspensos decernimus, aliasque ad nostrum libitum pœnas subituros pronunciamus.

III. Et quoniam perdit erubescentiæ virtutem Sacramentalis Confessio, quoties apud criminis socium seù Complicem, pænitens peccata deponit; tantoque in hujus sola consideratione facinoris horrore concutimur, ut eo patientiam nostram prorsùs comminutam fateri cogamur; nostri Pastoralis Officii summoperè postulant partes, ut tàm horrendum auditu scelus, si unquam in hac no-

nostra Diœcesi fuerit, aut obrepere in posterùm tentarit, omninò, & in perpetuùm comprimamus, atque eliminemus. Confessariis igitur tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, eas personas pro illa vice in Confessione audiendi, & Sacramentaliter absolvendi facultatem adimimus, & ademtàm esse præsenti Constitutione sancimus, cum quibus *in Opere Carnali*, *aut Maleficiò*, *aut abortu participant*.

IV. Ut nostræ Orthodoxæ Fidei rudimentorum ignorantiæ, quam sæpe etiam in ætate provectis regnare audivimus, undecunque medeamur; præcipimus, ut tempore Paschalis præcepti Confessarii omnes, etiam Regulares, Confessiones puerorum, aut personarum quarumcunque audituri, modò aliundè de earum scientia, & eruditione non constiterit, primo loco de Sacrosanctæ Fidei rudimentis, & principalioribus Mysteriis percontentur. Quod si scienter omiserint, ipso facto ab audiendis Confessionibus se noverint suspensos. Quos verò in Doctrina Christiana instructos invenerint, eos absolvendos sciant; quos autem rudes experti fuerint; aut tunc temporis saltem quoad Mysterio-

rum Fidei substantiam perdoceant, aut ad Parochum erudiendos mittant; ut posteà suorum peccatorum Confessiones audire, iisque Absolutionem rectè valeant impertiri.

V. Quùm Parochorum plurimùm intersit, suarum Ovium, præsertim ægrotantium, vultus per se ipsos agnoscere, iterùm atque iterùm eos hortamur, ut quacunque infirmitate domi detentos aliquando invisant, & ad Pœnitentiæ Sacramentum, nec non Sacræ Communionis perceptionem, si opus fuerit, hortari, & disponere haud negligant.

VI. Medicorum etiam Officium est infirmos de facienda Confessione commonere, ut Pius PP. V. sanxit, & Sacra Congregatio mandavit, sub pœnis in ejusdem Sanctissimi Pontificis Constitutione contentis. Quod si monitione præstita, post triduum expletæ Confessionis testimonium ipsi Medici non viderint, ad ægrotos ampliùs non accedant, nisi fortè ex æquo Confessarii judicio ad alium diem eadem Confessio fuerit dilata.

VII. Confessarii verò omnes, & Sæculares, & Regulares, infirmorum Confessiones domi excipientes, proprios ægrotorum Pa-

Parochos ſcripto, vel oretenùs, vel demùm per ſubnuncium, ſub pœnæ ſuſpenſionis a Confeſſionibus audiendis interminatione, commonere non omittant.

VIII. Quarumlibet mulierum Confeſſiones ante ſolis ortum, vel poſt ſolis occaſum, & nonniſi in Eccleſiis, & in Confeſſionali ſede ad crates ferreas, ſub pœnis Nobis arbitrariis, audire prohibemus. Domi verò dumtaxat in lecto ab infirmitate detentas, & aperto cubiculi oſtio, ſua peccata confitentes audiendas eſſe decernimus.

CAPUT V.

De extremæ Unctionis Sacramento.

I. QUemadmodum clementiſſimus Redemtor Noſter, ut Sacri Concilii Tridentini verba adhibeamus (*d*), auxilia maxima in Sacramentis aliis contra omnia noſtrorum hoſtium tela præparavit, quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dùm viverent, ab

(d) *Seſſ. 14. de Sacram. E.U. in princip.*

ab omni graviori ſpiritus incommodo poſſent: ità extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquàm firmiſſimo quodam præſidio, munivit: Tunc enim temporis ſuæ verſutiæ nervos ad perdendum nos vehementiùs intendit Diabolus. Quapropter, ut hujus Sacramenti efficaces effectus Chriſtifideles, in proximo luctaturi, ritè poſſint percipere, pro ſua virili parte ſatagant Parochi, dùm integris ſenſibus conſtant infirmi, hoc Sacramentum ipſis miniſtrare, ejuſque virtutem edocere, adſtantes ad orandum pro eis hortari.

II. Peracta tamen hujuſmodi Sancta Unctione, ſui muneris partes jam expleviſſe, nullatenùs iidem Parochi exiſtiment: Ipſis enim ſæpiùs infirmos inviſere, eoſque in extremis laborantes ad benè in Domino moriendum diſponere, & præſertim in illo momento, a quo pendet æternitas, adjuvare, & confirmare, maximoperè incumbit. Si in hac ſui Officii parte negligentes fuerint, ita ut ipſorum incuria ſocordiave, ſine hoc Sacramento decedere, aut ſuæ paſtoralis ſollicitudinis adjumento in tanti plena periculi arena luctantem quemque deſtitutum mortem

tem occumbere contigerit, graves profectò pœnas se noverint daturos.

III. Nulli hoc Sacramentum licet ministrare, præterquàm proprio Parocho, aut cui ipsemet ex causa administrandi dederit facultatem. Regulares verò, qui sibi temerè hanc facultatem arrogare tentarint, etiam pro Laicis sæcularibus apud se commorantibus, aut hospitio susceptis, (quibus nec Viaticum dare sine Parochi licentia licet) in excommunicationis sententiam, cujus absolutio Summo reservatur Pontifici, ipso facto incurrisse sciant (*e*). Quodque etiam pro suis Tertiariis aut Simpulatricibus mulieribus a Leone PP. X. in Lateranensi Concilio interdictum habetur.

(e) *In Clement. I. c. de privil. cap. Religiosi.*

CAPUT VI.

De Sacramento Ordinis.

CUM per Apostolum scriptum sit, *nemini citò manum imposueris* (*f*), quantum diligentiæ in Sacra manuum impositione impendere, & quàm cautè in hujus Sacramen-

(f) I. *Timoth.* 3.

ti administratione procedere debeamus ; serio quidem animadvertendum censemus ; Hinc omnia quæcunque in Tridentino Concilio (*g*) , & in Bulla Innocentii PP. XII. quæ incipit , *Speculatores Domus Israel* ; atque in quamplurimis aliis a Sacra Congregatione Patrum ejus Concilii Interpretum emanatis Constitutionibus sancita sunt , enixis viribus , prout æquum est , ritè nobis observanda profitemur. Et quoniam , ut per summam prudentiam in generali Conventu Cleri Gallicani anno 1655. , ac per ejusdem Tridentini Concilii sanctionem , magnoperè cautum est , & decretum , super iis , qui prima Tonsura sunt initiandi , curam omnem , atque inquisitionem adhibere debent Episcopi ; qui enim semel Clericalem Tonsuram , quantumvis indigni , & nihil eorum , quæ necessariò requiruntur , habentes susceperunt , omnem lapidem movere non desistunt , quin ad omnes Ordines promoveantur , adeoquè ne nostro Episcopali Muneri deesse quamminimùm videamur , hæc sancienda autumavimus .

(g) *Sess.* 21. *c.* 2. *sess.* 23. *c.* 4. & *seqq.*

I. Quicunque Ecclesiasticæ Militiæ adscribi velit , se jugi Ecclesiæ servitio nove-

rit

rit mancipari; idcircò nullus Clericali Tonsura initiabitur, nisi eodem tempore Ecclesiæ illi adscribatur, pro cujus servitio debet ordinari, ut suis fungatur muneribus, nec incertis sedibus vagetur (*h*). Si qui verò sint, etiam Minoribus, aut Sacris Ordinibus insigniti, qui nulli certæ Ecclesiæ adhuc fuerint adscripti, præcipimus, ut tribus mensibus post hujus Decreti promulgationem elapsis, suorum Ordinum Bullas, seu Testimoniales literas, ad nostram Curiam deferant, ut suæ Ecclesiæ adscribere, & mancipare valeamus (*i*).

(h) *Conc. Trid. Sess.* 23. *c.* 6. & 16.

(i) *Bened.* PP. XIII. *in Concil. Rom. tit.* 6. *cap.* 2.

II. Nullum insuper prima Clericali Tonsura initiandum fore decernimus, nisi priùs legitimè per Nos comperiatur, ipsum aut Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere; aut demùm sufficiens Patrimonium sibi constitutum, nulli alieno æri, aut cuicunque oneri obnoxium, habere; quod saltem viginti quinque ducatos in annum reddere possit. Hinc Donationes omnes, quæ constituendi patrimonii causa fieri solent, nonnisi sollemniter, & veraciter factas, & testibus fide dignis comprobatas, atque nullo ære alie-

no gravatas, admittendas esse declaramus: Quascunque verò alias simulatas, & dolosas donationes, ad defraudanda fortassis vectigalia, seù collectas in favorem Ordinandorum factas, nullo pacto recipiendas decernimus.

III. Hoc tamen totum, antequàm ad Subdiaconatus Ordinem quispiam promoveatur, districtiori ratione observandum, ac disquirendum præcipimus, ut ejusdem Tridentini Concilii Decretum exequamur (*l*). Sed ut omnem fraudis ac doli umbram evitemus, ad valvas Matricis Ecclesiæ Patrimonialium bonorum Elenchus, toto Publicationum tempore, affigatur; deinde duorum Testium de pacifica ejusdem Constituti Patrimonii possessione, nec non de reali fructuum perceptione, testimonium afferatur.

IV. Arbitrariis quidem pœnis persequemur, qui post susceptum Ordinem, quoquo modo sui constituti Patrimonii redditus alienare, aut minuere, aut cuivis alieno æri obnoxios facere, sine nostra expressa licentia, præsumserit; ipsosque Contractus, prout Sacra etiam Concilii Congregatio sanxit (*m*), irritos omninò, nulliusque momenti declaramus.

(l) *Sess.* 21. *c.* 2.

(m) *in una Aquilana* 24. *Febru.* 1652.

V. Quæ

V. Quæ autem Requisita in suscipiendis Ordinibus ad nostram Curiam sint præsentanda, in hujus Synodi Appendice describenda mandamus; ut cuique faciliùs innotescant, atque in posterùm una eademque lex ab omnibus constanter observetur.

CAPUT VII.

De Matrimonii Sacramento.

MAgnum non minùs Mysterio, quàm effectu, Matrimonii Sacramentum, quo hominum propagini prospicere, eamque servare, Divinæ placuit Providentiæ ac Bonitati, cùm perpetuum indissolubilemque nexum in hac vitâ inter Conjuges pariat, non temerè profectò, sed consideratissimè contrahendum esse, nemo est, qui eat inficias.

I. Quamobrem sub pœna ducatorum decem Nostris Parochis præcipimus, ac mandamus, ut antequàm Matrimonium contrahendum in Ecclesiis Populo denuntient, seorsùm Sponsos, aut ad Confessionalem sedem, aut alibi, prout commodiùs, & hone-

stiùs videbitur, interrogare haud negligant, utrùm Denunciationes fieri sibi placeat, atque ad id negotii sponte per se ipsi deveniant. Et ne assensu Conjugum, per vim metumve expresso, in Sacramentum Connubii perturbatio obrepat, prohibemus ad aliorum instantiam, etiam parentum, & propinquorum, vel curam eorum gerentium, matrimonium celebrandum denunciare. Quod si in diversis Parochiis habeant domicilium, utriusque item Parochus hoc ipsum servet; nec Matrimonium alter Parochus denuntiet, nisi ab altero Parocho de illius, qui suæ subjectus est curæ, consensu, & petitione omninò certior sit factus. Si verò eos invitos ad contrahendum Connubium compererint Parochi, ad denunciationes haudquaquam deveniant; sed in tota re supersedentes, Parentes aut propinquos ab inferenda coactione prudentibus argumentis abducere conentur: & cùm hoc assequendi se frustratos senserint, ad Nos aut ad nostrum Vicarium deferre pensi habebunt.

II. Quùm Conjugii contrahendi proclamationes seù denunciationes sint institutæ, seù potiùs confirmatæ a Concilio Triden-

dentino (*n*) post Lateranense Concilium (*o*), ad cognoscendum utrùm validè, & licitè contrahatur; ejusmodi Denunciationes fiant tribus continuis festis diebus, qui ex Ecclesiæ præcepto colendi sunt; atque inter illius Missæ sollemnia, ad quam major Populi frequentia solet convenire. Quod si Nos rationabili de causa moti proclamationem aliquam remittendam duxerimus, ipso die ultimæ Denunciationis Populum moneat Parochus, ne fortè ulteriorem denunciationem expectando, impedimenta, si qua fuerint, revelare non possit. Quod etiam si eodem ultimæ proclamationis die Matrimonium per verba de præsenti celebrandum erit, significandum mandamus.

(n) *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform.*

(o) *C. ult. de Clan. despons.*

III. Sed quoniam plerumque evenit, ut præscriptæ Connubii proclamationes, quamvis inter Missarum sollemnia, diebusque festis fiant, haudquaquam ab optata Populi frequentia audiantur, adeòque si aliqua subsint impedimenta, difficiliùs detegantur; præcipimus ut earundem Denunciationum Schedula a Parochis fiat, & Ecclesiæ valvis, durante proclamationum tempore, affixa ab omnibus conspiciatur.

IV. Si

IV. Si Parocho, qui Connubium celebrandum promulgaverit, aliquod denuncietur impedimentum, is neque ad illius Matrimonii celebrationem, neque ad aliam proclamationem progrediatur, etiamsi quod affertur impedimentum, falsum, vel nullius momenti videatur; sed ad Nos, aut ad nostrum Vicarium deferre curet; & nihil intereà ante statuat, quàm, quid faciendum sit, responsum habuerit. Qui verò falsum impedimentum, ut futurum legitimè matrimonium impediat, malitiosè, & scienter attulerit, præter alias juris pœnas, excommunicationis etiam gladio percutiatur.

V. Ut autem hujusmodi impedimenta, sivè quæ Connubia ineunda prohibent, sivè quæ jam inita, & contracta rescindunt, omnibus benè explorata habeantur, lingua vernacula breviter explanata in hujus Synodi Appendice curavimus apponenda: quæ a Parochis qualibet secunda Dominica post Epiphaniam, qui Missæ Parochiali interfuerint, clara voce legenda mandamus. Quod si omiserint Parochi, quinque carolenorum multam luent.

VI. Si Sponsus aut Sponsa alienæ sint

Diœ-

Diœceseos, ne, quod quandoque accepimus contigisse, plures scilicet ab ignotis vagisque hominibus uxores ducantur; quæcunque in literis Sacræ Congregationis universalis, & Generalis Inquisitionis continentur, ad unguem observare summopere studentes, decernimus ut Testimonium in scriptis non solum suorum Parochorum, sed etiam proprii Ordinarii subscriptione, & sigillo munitum, ad nostram Curiam recognoscendum afferatur.

VII. Peractis proclamationibus, ad Sponsos in matrimonium conjungendos, sine nostra in scriptis licentia, nullus Parochus audeat procedere; aliter vigintiquinque aureorum pœna multabitur. Et cùm Sponsis ipsis suos procreandos filios nostræ Fidei rudimenta edocere potissimùm incumbat, si eos ejusdem Fidei præcipua Mysteria planè ignorare idem Parochus compererit, ne matrimonio quidem illos jungat; sed donec didicerint, Conjugii celebrationem distineat: ut ità rubore suffusi, ea, quæ ignorare omninò non debent, tandem aliquando addiscere compellantur.

VIII. Si infra duos menses post factas

De-

Denunciationes, Matrimonium per verba de præsenti non contrahatur; nisi aliter nobis videatur, proclamationes esse repetendas declaramus.

IX. Quùm ex hoc magno Conjugii Sacramento peculiaris Gratia dignè contrahentibus ex Divina largitate conferatur, necesse est, ut Sponsi per suorum peccatorum Confessionem, & Sacræ Eucharistiæ perceptionem, ad hujus Sacramenti Gratiam dignè recipiendam pro suis viribus semetipsos disponant. Quapropter Parochis mandamus, ut quamvis a nostra Curia desponsandi licentiam obtinuerint, nisi utrique Sponsorum hujusmodi dispositionem habuerint, matrimonio non assistant; & propterea de mane dumtaxat hoc peragendum, nuptiarumque benedictionem impertiendam præcipimus. Quod si justa de causa Nobis de prandio Connubium celebrandum visum fuerit, etiam de ipso mane hujusmodi dispositionem, vel saltem peccatorum Confessionem, adhibendam esse Sponsis ipsis indicimus, indignè enim accedentes, Sacrilegii Rei, Sacramentum quidem, non autem Sacramenti Gratiam, recipient. Qui demùm ex Sancto Ecclesiæ

ritu

ritu benedictionem Sacerdotalem in templo non susceperint, post mensem ab initis nuptiis ad recipiendam accedant. Quod si renuerint, Interdicto ab Ecclesiæ ingressu in ipsos animadvertemus; cujus nostri Synodalis Decreti observantiam Parochorum vigilantiæ, & sedulitati commendamus.

X. Si quis autem Parochus, aliusve Sacerdos, sivè Sæcularis, sivè Regularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, aut immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ Sponsos, sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit; ipso jure tandiù a Divinis suspensus maneat, donec eum absolvere Nobis arriserit.

XI. Et cum Templum, Deo Opt. Max. dicatum, proprius locus Sacramentorum juremerito censeatur; districtè inhibemus, ne Parochus ullo alio loco, quàm in ipsa Parochiali Ecclesia, Sponsos matrimonio jungat; nisi aliter Nobis visum fuerit; aliter nostro arbitrio punietur.

XII. Quotiescunque, justa, & gravi de causa, ante publicatas Denunciationes Matrimonium ineundum per Nos judicabi-

tur, Conjuges ipsos commonitos faciant Parochi, ut omninò a Matrimonii usu se abstineant; ne si aliquod postea impedimentum subsit, Matrimonium cum gravi scandalo dirimatur.

XIII. Ad evitanda scandala, & peccata, quæ ut plurimùm in hac nostra Diœcesi post contracta Sponsalia inter Sponsos perpetrantur, nostræ Pastoralis sollicitudinis Officium adimplere, & grassanti huic morbo ferro, & igni mederi quammaximè studentes, Excommunicationi latæ sententiæ, Nobisque reservatæ, Sponsos ante Matrimonium legitimè celebratum carnaliter inter se copulam habentes, necnon parentes, consanguineos, affines omnes, aut quoscunque ipsis carnalem copulam aut cohabitationem, pernoctationemque permittentes, hoc nostro Synodali Decreto obnoxios decernimus, declaramus. Quicunque verò hoc sciverint, sub pœna excommunicationis, nobis denunciandum per Parochos curent; ut etiam alias pro nostro libito pœnas luere, ad aliorum exemplum, cogantur.

XIV. Si quis demùm ex aliena Diœcesi secùm duxerit mulierem, quam suam

esse

esse uxorem affirmet; ex infamia tamen, vel probabili conjectura, Parochus illam esse Concubinam suspicetur, ab eo legitimi Matrimonii Fidem seù Testimonium exigat: Quod si non ostenderit, utriusque nomina ad nostram Curiam deferat, ut opportuniùs prospici possit.

TITULUS QUINTUS.

De Vita, & honestate Clericorum.

QUanquàm multa ab Oecumenicis Conciliis, Sacrisque Canonibus ad vitam, honestatemque Clericorum spectantia, Sanctissimè praescripta sint; nihilotamen minus cùm a plerisque aut planè ignorari, aut demùm per summum dedecus negligi, experientia ipsa didicerimus: idcircò haec, quae sequuntur, in memoriam revocanda, Clericisque omnibus custodienda, atque exequenda existimavimus.

CA-

CAPUT I.

Clericorum Mores expenduntur.

QUùm nihil unquam sit, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum intemerata vita, & rectum exemplum, qui ex hominibus assumti Divino se ministerio mancipaverunt; in eos enim, ab Omnipotenti Deo suprá Montem Sanctum suum constitutos, tanquàm in speculum, cæteri hominum oculos coniiciunt, & quod imitentur, desumunt: operæ pretium profectò est, hujusmodi vitam, morésque suos componere, habitum, gestùm, incessum, sermonemque metiri, levissimaque delicta cavere, ut se omnium bonorum operum exemplum, bonumque Christi odorem exhibeant, præseferantque.

I. Hinc liquidò constat quàm frequenter Incruentum Sacrificium offerre debeant Sacerdotes, ut superiùs mandavimus (*p*); & quàm sæpissimè Clericorum cæteros ad Sacram Synaxim sit æquum accedere. Omnibus

(p) *Tit.* 3. *c.* 2. *num.* 1.

nibus igitur Clericis, sivè in Minoribus, sivè in Subdiaconatus, aut Diaconatus Ordinibus constitutis, districtè præcipimus, ut singulis quibusque quindenis diebus, ultra sollemniores anni Festivitates, Sacramentali mundentur Exomologesi, & Sacratissima, quotiescunque fieri poterit, inter Missarum sollemnia, in Matrice Ecclesia, communione reficiantur. Quod ut exactissimè observari conspiciamus, inter alia Ordinandorum Requisita hoc Testimonium exhibendum decernimus; ut quos tepidos, & incurios experiemur, ab Ordinum susceptione arceamus.

II. Ex hoc etiam patet evidentissimè, quàm abhorrere debeant Clerici, quæ etiam in Laicorum moribus sunt detestanda. Districtissimè igitur omnibus cujuscunque Ordinis Clericis inhibemus, ac vetamus, ne ad Cauponas, seù Tabernas, citrà necessitatem, accedere audeant; nec etiam choreas ducere, obscœnis Comœdiis adesse, post secundam noctis horam sine lumine vagari, aut etiam interdiù intempesta hora vicos circumire, aut denique quocunque tempore cantando aut sonando Civitatem, plateasque percurrere, eò minùs inter Epulas cantile-

nas

nas recitare, ullo modo præſumant. Sed ut, quos ab his perpetrandis Eccleſiaſticæ Dignitatis ludibrium non retrahit, pœna ſubeunda pro merito corripiat; quotieſcunque a ſuperiùs dictis illicitis ſe non abſtinuerint Clerici, totiès Delinquentes decem aureorum pœnam ſe noverint daturos.

CAPUT II.

Habitus, & Tonſura præſcribitur.

I. QUoniam, ut ex Concilio Tridentino habemus (*q*), per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam dignoſcimus, quam quidem potiſſimùm Eccleſiaſtici, qui Dei Structura, & Ædificatio, ac Forma ſunt Gregis, præſeferre debent; hac præſenti noſtra Conſtitutione præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcunque hujus noſtræ Diœceſis Clericis, non ſolum in Sacris, ſed etiam in aliis Minoribus Ordinibus conſti-

(q) *Seſſ.* 14. *de Reform.* 1. 6.

stitutis, & Clericali tantùm Tonsura insignitis, & qualiacunque Ecclesiastica Beneficia obtinentibus, ut honestum habitum Clericalem, illorum Ordini, & Dignitati, tùm quoad colorem, tùm quoad formam, reverà congruentem, semper ubique deferant; sub pœnis a Sacris Canonibus, & ab eodem Concilio Tridentino (*r*), & Sisto PP. V. (*s*), interminatis.

(r) *Ibidem.*

(s) *In Bulla quæ incipit* cùm sacrosanct.

II. Mandamus prætereà, ut omnes Ecclesiastici, nostræ Jurisdictioni subjecti, non modò in Missæ celebratione, verùm etiam in quibuscunque Ecclesiasticis functionibus talarem habitum semper habeant. Qui hoc nostrum negligere Decretum ausi fuerint, pœna ducatorum trium pro singulis transgressionibus multabuntur. Extrà Ecclesiam verò Vestem non talarem, sed breviorem, ornatu tamen vano carentem, neque exoticam, aut a Clericali honestate alienam, toleramus.

III. Et cùm Clericorum, omnem quamcunque Vanitatis, mundanique luxùs speciem vitare, quamplurimùm intersit; sunt enim in sortem Domini vocati; idcircò vestium interiorum cùm ornamentis aut coloribus

ribus Ecclesiasticæ modestiæ indecentibus, nec non Palliorum non nigri coloris, aut manicatorum Usum, sicut, & alia quæcunque ad corporis amictum vel ornatum spectantia, & quocunque modo ab Ecclesiastica decentia aliena, aut Sæcularium vestes æmulantia, sub pœnis pro nostro arbitrio infligendis; severè vetamus, proscribimus, eliminamus (*t*).

(t) C. *præcipimus* 21. q. 4.

IV. Ecclesiasticos autem, qui sui præcellentis Characteris immemores, Ecclesiasticique habitus honestatem, & decorum nihil pensi habentes, noctu aut interdiù quoquo loco Personati incedere, aut mimos se exhibere, aut in Comœdiis, & Dramatibus Actores agere ausi fuerint, decem aureorum pœnam, aliasque nobis arbitrarias, soluturos pronunciamus. In Repræsentationibus verò Sacris Actores agere, prævia nostra licentia, permittemus.

V. Inhærentes demùm quampluribus Sacrorum Canonum Sanctionibus (*u*) mandamus; ut omnes nostræ Jurisdictionis Clerici, qualescunque fuerint, patentem, & suo Ordini congruentem gerant Coronam. Comam autem Laicorum more nutrire sit nefas omni-

(u) C. *Clerici, de Vita & honestat. Cleric.* C. *prohibete*, *dist.* 23.

nò: sed attonso capite, auribus patentibus incedant (*x*). Qui contrafecerint, pœnas nobis arbitrarias dabunt.

(*x*) *C. non liceat, dist.* 23.

CAPUT III.

Venatio, & Ludus interdicitur.

QUùm Clerici à cæteris, ut Dei sint, atque in Opus Ministerii segregati, ad nihil aliud sua consilia, studia, atque operam, quàm ad ea, quæ sunt ad Deum, atque ad Populorum salutem procurandam, addicere debeant; & dumtaxat Libros Sanctos in manibus suis solatio habere deceat: valdè profectò turpe est ac horrendum, videre eos proprii muneris, & Dignitatis immemores, Venationi, & Ludis suam impensam operam diù multùmque, contra Sacrorum Canonum Sanctiones, navare. Hinc, ut nostri Pastoralis Officii partes exequamur, & hujusmodi malis in diem grassantibus medeamur, ad hæc statuta, quæ sequuntur, deveniendum esse jam duximus.

I. Nemo igitur Ecclesiasticorum nostro-

strorum Clamorosam seù saltuosam Venationem, toties a Sacris Canonibus, & Sacris Conciliis proscriptam, quoquo modo exercere præsumat (y). Aliter sex ducatorum pœna multabitur. Hinc etiam districtè inhibemus, ne quæcunque arma, seù quæ defensiva, seù quæ offensiva nuncupantur, ferre audeant Clerici; nisi cùm per loca non tuta iter erit faciendum, habita tamen priùs a Nobis, vel a nostro Generali Vicario in scriptis exarata licentia. Contrafacientes pœna carceris ad nostrum libitum plectentur.

(y) *C. 1. de Cler. Venat. c. Episc. & alibi. Concil. Tr. sess. 24. de Reform. c. 12.*

II. Ad aleas denique, vel ad taxillos, aut ad alios ludos, qui dumtaxat a fortuna, & casu, ut ajunt, pendere solent, etiam Laicis turpe, & nefas esse, Jura omnia loquuntur (z). Quantò igitur magis Ecclesiæ Dei mancipatis dedecet Ministris? Districtè propterea interdicimus, sex ducatorum multam indicentes, ne Sacerdotes, aliique in quocunque Ordine aut gradu constituti, Ecclesiasticæque militiæ adscripti, taxillis, aleis, foliisque lusoriis, in illis præcipuè ludis, qui vulgò *Bassetta*, *Primiera*, *Goffo*, aliisque similium ludorum generibus, ullo pacto ludere audeant. Quodcumque demùm ludorum

(z) *Cum Cleric. de Vita, & honest. C. Episc. dist. 3. Concil. Trid. sess. 22. de reform. c. 1.*

rum genus, ut Disci jactum, pilæ ludum, aut similia, in loco publico, pœna nobis arbitraria, interdicimus: exercitii verò caussa, & salutis procurandæ gratia, hujusmodi ludos privatim peragere non vetamus.

CAPUT IV.

Negotiationes, aliaque Clericis fugienda proscribuntur.

I. NEmo *militans Deo*, inquit Apostolus (*a*), *negotiis se implicet sæcularibus*: Cùm igitur Clerici Divinæ Militiæ dederint nomina, abjecta quidem profectò cæterarum rerum cura, uni Deo prorsùs debent vacare: secùs enim facientes, nullo unquam pacto cui se probaverunt, possunt placere. Quapropter Sacris Canonibus inhærentes districtè inhibemus omnibus cujusque Ordinis Clericis, ne Mercaturam exerceant; neque in rebus contrahendis se medios aut Proxenetas exhibeant; nec pro altero spondeant; neve Laicorum negotiationes procurent, nisi

(a) 2. *ad Timoth.* 2.

si justa causa id postulet, & a Clericali Officio, cum nostra licentia, non abhorreat. Item interdicimus, ne alienos agros, vel greges, negotiationis causa, aut per seipsos, aut per alios conducant; quod in primo, & quarto Carthaginensi Concilio est vetitum. Neque demùm Oppidorum, aliorumve locorum temporalem quamcunque jujurisdictionem, vel redditus audeant conducere: omnem enim cujuscumque illicitæ Negotiationis speciem pro viribus caveant, fugiant, horreant, hortamur, volumus, & districtè mandamus. Quicunque verò in ipsis deliquerit, quinquaginta aureorum pœnam, aliasque ad nostrum libitum, & prout Sacri Canones præcipiunt, se noverit soluturum (*b*).

II. Hinc etiam Clericis omnibus, sub pœna ducatorum decem, aliisque nobis arbitrariis, interdicimus, ne Procurationis, Advocationis, Patrocinii, omnisque Causarum Actionis in Tribunalibus Sæcularibus, exceptis causis a jure permissis; munere fungantur; Neque Tabellionatus, aut quodvis aliud publicum Universitatum Officium; nec denique Medicinam, aut Chirurgiam, aut alia

(b) *C. Clerici, de Vita & honest. Cler. C. consequens est. C. negotiatorem 88. dist. C. 1. ne Cl. vel mon. C. pervenit. 86. dist.*

alia itidem exercitia Mechanica, vilitatem, & dedecus Ecclesiastico Gradui afferentia, audeant exercere.

III. Et quanquam Clerici, si velint, Consanguineorum usque ad quartum gradum subire possint Tutelam, administrationem verò non sine nostra licentia suscipere valeant. Extraneorum tamen Testamentariam, & Dativam Tutelam suscipere, executionemque Testamentariam obire, nisi pietatis causa, & de nostra licentia, sub pœnis Nobis arbitrariis, omninò interdicimus (*c*).

IV. Quùm Clericorum vita illibatum ab omni incontinentiæ nedum labe, sed etiam suspicione candorem servare, & Christi Agni immaculati bonum odorem redolere; & præseferre apprimè debeat; cohabitationem mulierum, de quibus suspicio haberi possit, etiamsi consanguineæ aut affines sint, sub arbitrariis pœnis, omninò vetamus (*d*). Ancillas verò, nisi provectæ ætatis, & famæ bonæ, de quibus apud Populum nulla suspicio habeatur, domi habere, prævia nostra licentia, concedimus (*e*).

(c) *S. Cong. Episc. in Salernit.* 14. *Junii* 1619.

(d) *Cap. interdixit dist.* 32. *Cap.* 1. *& per totum de cohabitat. Cl. & mul. C. oportet. C. Clerici. C. volumus, C. Fœminas* 81. *dist.*

(e) *Conc. T. sess.* 25. *c.* 14.

TITULUS SEXTUS.

De Capitulis, Canonicis, & Parochis.

ETsi in præcedentibus hujus nostræ primæ Diœcesanæ Synodi Constitutionibus, hactenùs emanatis, non pauca ad Canonicorum, & Parochorum nostrorum Officium pertinentia, ex debito nostræ Pastoralis Curæ sanxerimus; cùm tamen nonnulla non leviores momenti adhuc supersint, hic agenda, & decernenda esse constituimus. Sit igitur.

CA-

CAPUT I.

De Capitularibus Constitutionibus.

I. ECclesiarum Capitula tàm Cathedralium, quàm Collegiatarum omnium, & Conventualium, quippè quæ velut corpora membris compacta sint, suis legibus vivere, suisque Canonibus nutriri, & conservari constanter oportere, ab omnibus exploratissimum habetur. Idcircò districtè præcipimus ac mandamus non solùm hujus nostræ Cathedralis Ecclesiæ, verùm etiam aliarum Diœceseos Collegiatarum Capitulis, & Cleris, ut antiqua, si qua habent, statuta, & Capitulares Constitutiones depromant; & ubi non adsint, sex infra saltem menses post præsentis Synodi publicationem sub Ecclesiastici Interdicti pœna, omninò conficiant; & utraque, antiqua scilicet, & nova, per Nos accuratè examinanda, & corrigenda deducant, atque approbanda præsentent.

II. Hoc

II Hoc tamen intereà pro rectâ Constitutionum Capitularium confectione, ne incassum laborasse, operamque perdidisse comperiatur, commonendum censemus. Hac igitur ratione Statuta ipsa conficienda decernimus; ut scilicet in ipsis Ecclesiarum, & Capitulorum Origines, fundationes, insignia, jura, leges, Consuetudines, redditus, onera, & munera, suis sub certis Capitibus concinnè admodum distributa, & exarata conspiciantur. Nihil autem omninò appositè statuatur, quod Juris dispositionibus, Constitutionibus Pontificiis, Congregationum Decretis, aut ab Ecclesia præscriptis Rubricis, sit alienum: Sed quod pro opportunitate, & necessitate temporum, rerum, & locorum, ad Divinum cultum augendum; Ecclesiasticam Disciplinam sartam tectam custodiendam, Ecclesiarumque utilitatem promovendam summoperè conducit.

CAPUT II.

De Capitularibus Congregationibus.

QUoniam sæpè numero aut pro Capitularibus negotiis tractandis, aut pro iis, quæ ad meliorem Chori disciplinam, & Divinum cultum conducant, Capitulum congregari opus est; pauca hìc pro hujusmodi Congregationibus decernere æquum esse videtur.

I. Quotiescumque igitur Capitulum congregari oportebit, pridie saltem ad Sacrarii seù Sacristiæ valvas, ex ordine Præfecti Chori pro tempore, cujus est hasce Congregationes indicere (*f*), & per manus Capitularis Secretarii conscripta, schedula affigatur; in qua hora, & ejusdem Congregationis scopus aut thema, modò silentium non requirat, brevibus indicabitur. Statis verò die, & hora, prævio campanulæ signo, omnes præsentes in Choro ad Sacra-

(f) *S.C. rit. in Neap 25. Januar. 1698. ad quintum.*

rium

rium conveniant: ubi a Chori Magistro quod erit tractandum ac discutiendum proponatur, & omnes, & singuli, præter eum qui non est Subdiaconus, per ordinem suum ferant suffragium. Eos verò Capitulares, de quibus fortasse agendum erit, ut alii quæ velint, quæque sentiant liberè eloqui valeant; inhærentes Sacræ Congregationis Episcoporum emanato Decreto (g), præsentes ibidem esse omninò vetamus. Quodque etiam, cùm de ipsorum Capitularium saltem in primo gradu agitur Conjunctis, observandum decernimus.

(g) 13. Mart 1615.

II. Si verò statum Congregationis Capitularis tempus advenerit, & per Capituli Majorem pro sua voluntate, & libitu, nullis justis rationibus præmoventibus, haberi negligatur, quantumvis per Capitulares ad hujusmodi Congregationem habendam urgeatur; ejusdem Sacræ Episcoporum Congregationis providam Constitutionem exequi cupientes (h), per alios habendam esse, nulla etiam habita absentium ratione, declaramus. Qui Capitularibus Congregationibus, modò legitimo non detineantur impedimento, interesse recusaverint, illius diei distributiones amittant.

(h) 6. Octobr 1617.

 III. Sed

III. Sed ut Ecclesiarum utilitas, & Capitularium suffragia ferentium libertas semper ubique habeatur; & contentionum denique, dissidiorumque origines atque ansæ, quæ plerùmque in Capitulis solent evenire, omninò auferantur; districtè mandamus, ut nulla quidem ardua, gravia, & majoris momenti negotia peragantur, nec quorumcunque Officialium Electiones habeantur, nisi per secreta suffragia; prout expedire non semel censuit Sacra Concilii Congregatio (*i*). Si secùs, omnia irrita, nulliusque momenti, et roboris eo ipso declaramus; ejusdemque farinæ ea omnia Capitularia negotia esse pronunciamus, quæ ab uno, aut ab aliquibus tantùm, cæteris non legitimè accitis, aut extra locum Capitularibus non collegialiter congregatis, temerè pertractantur (k). Literæ denique ad Capitulum datæ, præsenti Capitulo per Secretarium publicè legantur.

(i) *In Melevit.* 23. *Novembr.* 1697. & 20. *Septemb.* 1698.

(k) *S. Cong. Rit.* 7. *Octobr.* 1619.

IV. Hujusmodi autem Capitula aut Congregationes tempore Divinorum Officiorum fieri, cùm idem sit ac miscere Sacra profanis, sub amissione distributionum, Ecclesiæ Fabricæ applicandarum, inhibemus: modò

modò urgens non cogat necessitas, & res ipsa dilationem sine detrimento non patiatur (*l*).

(l) *S.C.C.* 1. *Februar.* 1593. *S.C.R.* 17. *Novemb.* 1600

V. Quia in Capitulis plura tractari, & concludi solent, quæ etiamsi haud necessariò, saltem tamen, ne pereant probationes, scripturam exigunt congruenter; idcircò præcipimus, ut in certo Libro per Secretarium Propositiones omnes Capitularesque Resolutiones adamussim describantur; quas, justis moventibus causis, declarare, mutare, aut revocare Capitulum posse, Sacra Episcoporum Congregatio declaravit (*m*).

(m) 13. *Mart.* 1615.

VI. Congregationes demùm Spirituales, adeò a Sanctis Patribus inculcatas, quippè quæ ad Ecclesiasticam Disciplinam fovendam, ad errores in Officiorum recitatione corrigendos, aut ad vitam ad meliorem formam componendam, non parùm sint conferentes, (quæ jam apud nostra Capitula in desuetudinem multis abhinc annis abierunt) ad pristinum morem reducere quamplurimùm exoptantes, omnibus, & singulis Dignitatibus, quæ Capitulis præsunt, hanc provinciam demandamus: ut scilicet semel saltem in Mense hujusmodi Spirituales Col-

la-

lationes post Completorium ab ipsis Capitulis habeantur; quas per Sancti Spiritus Paracleti invocationem incipere, & per gratiarum actionem absolvere opus esse sciant.

CAPUT III.

De Canonicorum Residentia.

I. Dignitates omnes, Canonicos Cathedralis, aut Collegiatæ Ecclesiæ servitio mancipatos, nec non omnes in Conventualibus Ecclesiis portiones habentes, in iisdem Ecclesiis ad sua munia obeunda interesse oportere; & non ultrà tres menses ab earundem servitio quolibet anno, ubi ex peculiari Ecclesiarum statuto longioris temporis servitium minimè requiratur, abesse jam posse, veneranda Sacri Tridentini Concilii Oracula pronunciant, decernuntque (n). Ut autem, quoad ejus fieri poterit, omni tempore in Ecclesiis benedicant Dominum, et ferè semper laus ejus in ore ipsorum publicè habeatur, non ultrà tertiam Canonicorum, aut Participantium partem a Cho-

(n) *Seff.* 24. *cap.* 12.

Choro, uno eodemque tempore, abesse mandamus; prout complures Sacræ Congregationis laudabiles providæque declararunt Constitutiones (o). Quæ trimestris absentia quamvis ex intervallo esse possit, nè in Sacri tamen Adventus, aut Quadragesimæ tempus, aut in sollemniores anni Festivitates incidat, sub pœnis ad nostrum arbitrium infligendis, omninò prohibemus. (o) 4. Aug. 1685. & al.

II. Hinc est, quod Sacræ Congregationis Concilii Decreto (p) inhærere in nostris votis habentes, ne ad Dignitatum aut Canonicorum placitum debito servitio Chorus ipse se sentiat defraudatum, singulis quibusque Dignitatibus, Canonicis, aut aliis ad residendum in sua Ecclesia obstrictis, sine nostra aut nostri Vicarii Generalis licentia, a sua Residentia abesse inhibemus, atque vetamus. (p) 11. Febr. & 19. Decembr. 1628. apud Barbos. de Canon. c. 20. num. 5.

III. Sed quoniam hujusmodi Residentiæ Officium in Ecclesiis, quarum servitio Canonici aliique sunt mancipati, ad Divina Officia, & Missas cantandum devincit; ad præcinendum enim Domino Canticum laudis, Ecclesiasticis sti pendiis devoventur; ne ex propria imperitia dissonantiam faciant,

vel

vel intempestivo silentio, vel garrulo cantu, ubi Angelorum concentui esset harmonica, & devota modulatio copulanda; præcipimus, ut ii omnes, quos Cantus Gregoriani peritia fugit, infra sex menses satagant addiscere; aliter, suis distributionibus pro nostro arbitrio se noverint privandos. Nullus tamen in posterùm ad Residentiam, aut ad portionem adipiscendam admittatur, nisi priùs Gregorianum Cantum didicerit, & probè noverit; quod per examen a Duobus per Nos deputandis probandum decernimus.

IV. Ut autem ad eliminandam deinceps a nostris Ecclesiis omnem Gregoriani Cantus imperitiam, omnem lapidem movisse videamur, districtè Clericis omnibus mandamus, ut eundem Cantum addiscere pro suis opibus curent; & in aliorum Ordinum promotione afferant testimonium. Quod si hujusmodi Cantus expertes, & ignaros eos comperiemus, nullo pacto ad exoptatos Ordines promovendos declaramus.

CAPUT IV.

De Procuratoribus.

I. QUùm Capitularium Reddituum, Præbendarum, & Diſtributionum adminiſtratio per omnes ſimul haberi non poſſit, omnium Eccleſiarum ſollemne eſt quoſdam Adminiſtratores, ſeù Procuratores, vel per Turnum, ut quiſque pondus diei, & æſtus portare cogatur, vel per liberam electionem ſeligere & creare. Nos quamcunque in hac re innovandi cupiditatem abhorrentes, omnia, prout in præſentiarum habentur, immutata relinquimus: hæc tamen dumtaxat præcipienda pro bono Eccleſiarum noſtrarum regimine exiſtimamus. Quicunque igitur Procuratoris Officium aut per Turnum, aut per optionem fuerit ſortitus, niſi aliqua cauſa per Nos probanda interceſſerit, hoc onus abdicare non præſumat. Quod ſi ſecùs fecerit, decem aureorum pœnam luet, quos, & Capitularibus, & Succeſſori per medietatem dividendos declaramus.

II. Noverint prætereà Procuratores sui Officii partes esse, fideliter suæ Curæ concredita administrare, nihilque vitio suo negligere, atque omnia, quæ opus fuerint, opportunè providere: Nihil tamen ad suum libitum, sed Capitularibus consultis, locare, aut mutare, aut impendere audeant, præterquamquod probati moris est: neque demùm Decimas, aut funeralia emolumenta componere aut taxare, sine Capitularium, nostrorumque Quartulanorum, ut nuncupantur, expresso consensu præsumant; aliter de suo ære ad omnia reficienda, & restauranda cogentur. Sua etiam præcipuè interest quarumcunque Locationum, Instrumentorum, & & Scripturarum authentica exempla, seù copias, procurare, atque ad Capitularis Archivi Præfectum deferre. Elapso tamen concreditæ administrationis anno, coram Capitulo rationes reddere teneantur.

III. Et quoniam non sine gravi nostri animi dolore, ex importuna Procuratorum sollicitudine plerumque Divina Officia in quibusdam hujus nostræ Trojanæ Diœcesios Ecclesiis perturbari, nostris auribus audivimus; eò quòd tunc temporis aut Capitula-

ria

ria negotia citrà necessitatem referre, aut pecunias distribuere non vereantur, cùm hæc omnia pro temporum aut locorum opportunitate commodùm fieri possint; majori, qua possumus, auctoritate confusiones hasce, pœna nobis arbitraria, proscribimus, atque eliminamus.

IV. Profectò admodùm vilescit Pontificalis Dignitas, si in Ecclesia, dùm Nos Pontificalia ex debito Nostri Pastoralis Officii in diebus sollemnioribus exercemus, vix aliquando sint, qui Divinas laudes decantent; idcircò mandamus, ut nostræ Cathedralis Canonici Procuratores, quamvis sibi concreditæ exactioni operam navent, Nobis sollemniter celebrantibus, Choro adesse haudquaquam negligant, publicisque Processionibus, si quæ fiant, interesse curent. Si secùs facere ausi fuerint, tanquàm absentes illius diei distributionibus hac nostra Synodali Constitutione privamus.

CAPUT V.

De Punctatoribus.

I. DUos in quaque Conventuali Ecclesia Punctatores eligendos esse, alterum à Nobis, à Capitulis alterum, valdè congruum, & æquum esse inficiari non possumus; tùm ut alter eorum saltem quotidie interfit, tùm ut, ambobus in punctando concordantibus, omnis infidelitatis suspicio auferatur. Ut tamen benè currenti stimulum admoveamus, ut accuratiores videlicet Punctatores in punctando reddamus, initio sui Officii, & in Synodo Diœcesana Juramentum de fideliter punctando per Ipsos in manibus nostris præstandum esse declaramus.

II. Perpendant autem Punctatores, quanta ipsis impendenda sit cura, & studium, ut in hujusmodi munere obeundo nulli noxæ apud Deum se reddant obnoxios; districtam enim suæ administrationis, & præstiti jurisjurandi rationem ante thronum Dei judicantis sunt reddituri. Nostram enim con-

scien-

ſcientiam exonerantes, eorum duxtaxat oneramus, ſi quæ per Nos de diſtributionum participatione, aut amiſſione variis decretis in hac noſtra Synodo hactenus ſancita ſunt, ſarta tecta cuſtodire, atque adamuſſim obſervare non curaverint: quos tamen ſi negligentes comperiemus, dignis animadverſionibus corripere, & coercere non omittemus.

III. Sed ut quæ ſua interſunt; exactè exequi poſſint Punctatores, Sacris horis, & Officiis omnibus intereſſe curent: Si verò qua de cauſa per breve tempus abfuerint, alteri ex Capitularibus curam ipſam demandent. Quod ſi ad multos dies eorum erit abſentia, Nos, & Chori Præfectum commonefaciant, ut alius reſpectivè ſubſtituatur. Singulis denique hebdomadibus Punctationum libros inter ſe conferre, & concordare haud negligant.

CA-

CAPUT VI.

De Parochis.

I. PArochi, quorum curæ Dominici Gregis oves per Spiritum Sanctum concreditas esse jam omnes norunt, Speculatores profectò domus Israel, & super muros Hierusalem constituti sunt Custodes; ut tota die ac nocte super ipsas excubantes, eas a Latronum Luporumque insidiis immunes servare, proficuo cibo pascere, & enutrire, viamque errantibus demonstrare, necnon a vitiorum contagio indemnes habere, *sollicitudine non pigri*, *Spiritu ferventes*, *Domino servientes* (*q*), quammaxima valeant sedulitate. Si enim hujusmodi Officium suum adimplere neglexerint, jure merito à Domino per Isaiam (*r*) increpabuntur; *Speculatores ejus cæci omnes; canes muti non valentes latrare; videntes vana, dormientes, & amantes somnia*, ac seipsos, non gregem suum pascentes. Et quoniam *Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet* (*s*), *& rationem pro animabus vestris reddituri sumus* (*t*), districtè

(q) *S. Paul. ad Rom.* 12.

(r) *Cap.* 56. *v.* 10.

(s) *Sapien. c.* 6.

(t) *S. Paul. ad Hebr.* 13

ctè Parochis omnibus præcipimus atque mandamus, ut quæcunque ad ſuum Officium ſpectare per uſque adhuc emanatas Conſtitutiones cognoverint, adamuſſim exequi, atque ad unguem adimplere impenſiſſimè ſtudeant; alitèr, iiſdem indictis ac interminatis pœnis eorum ſocordiam, & negligentiam perſequemur.

II. Peccata publica, ſcandala, abuſus, pravas conſuetudines, uſuras, concubinatus, ſuperſtitiones, ſtriges, blaſphemias, aliorumque vitiorum zizania, ſicut oportet, diſcreto zelo, atque impenſa opera extirpare conentur; & ut præſentius malo remedium valeant afferre, Vicariis Foraneis, aut noſtræ Curiæ opportunè denunciare haud negligant: alioquin negligentiæ, deſidiæque ſuæ dignas pœnas ſe noverint daturos. Suæ Pareciæ ægrotos maximopere cordi habeant, & ſæpiùs inviſant: Inopes verò ità curent, ut non modò eorum calamitatem conſolatoriis verbis, & paſtoralibus officiis lenire, verùm etiam optato ſubſidio ſuo, vel ſua opera conquiſito, ſtudeant ſublevare.

III. Et cùm hæc omnia per ſe ipſos, quoad ejus fieri poterit, exercere debeant

Pa-

Parochi, sub pœna ducatorum decem mandamus, ut in propriis Parochiis assiduè residéant (*u*); neque unquàm sine nostra licentia ultra biduum ab iis discedant. Cùm autem per plures dies de nostra facultate abesse ex sua Residentia contigerit, alium per Nos approbandum Sacerdotem suæ curæ substituant, eique sui Gregis curam demandent.

(u) *Conc. Trid. sess. 6. cap. 2.*

IV. Sciant insuper Parochi omnes, etiamsi ad nutum sint amovibiles, quod non solùm festivis diebus, sed etiam ter in hebdomada pro Populi commodo in suis Ecclesiis Sacras Missas celebrare; sed Dominicis saltem diebus pro eodem Populo sacrificia debeant offerre; ut a Sacra Concilii Congregatione sæpiùs est declaratum (*x*).

(x) *In Lucana 10. Maii 1681. in Castellan 26. August. 1628. in Hidrunt. 17 Febr. 1693. & al.*

V. Unusquisque Parochus penes se quinque Libros, quos Parochiales vocant, semper habeant benè compactos: in quorum primo status animarum suæ Pareciæ quoquo anno conscribatur: In secundo Baptizatorum; in Tertio Confirmatorum; in quarto Matrimonia contrahentium; & in quinto demùm Mortuorum nomina, secundùm formulas a Rituali Romano præscriptas,

dili-

diligentissimè describantur. Quos autem Parochos in iis conficiendis, aut exarandis Libris negligentes in Sancta Visitatione comperiemus, decem aureorum pœna multabimus.

VI. Et quoniam non modò Animarum, sed etiam propriæ Ecclesiæ curam habere, ex sui muneris debito, Parochos oportet; dignis pro merito animadversionibus insectandos pronunciamus, quotiescunque in servando suarum Ecclesiarum nitore Sordes segnesque experiemur. Lustralem seù benedictam aquam in fontibus, quibusque saltem Dominicis diebus renovent; & Sacras Eucharistici Panis Particulas, quæ in duabus Pyxidibus sunt asservandæ, quater in mense, æstivo tempore, bis verò hyemali, vel sæpiùs, ut videbitur, noviter consecrare non omittant; aliter pœnam Nobis arbitrariam luent.

VII. Antiquam, immemorabilemque consuetudinem, qua hujus Trojanæ Civitatis Parochi, cottis, & stolis redimiti, ad cantandum Nocturnum post Vesperas in Cathedrali Ecclesia infra Octavam Translationis Sanctorum Patronorum tenentur; qua-

que ad aſſiſtentiæ munus ad primas, & ſecundas Veſpras in diebus ſollemnioribus, nec non in Rogationum Proceſſionibus, & Miſſis, Celebranti Dignitati aut Canonico, obeundum devinciuntur, dummodò urgenti pro animarum cura non detineantur impedimento, lubenti animo approbamus, & confirmamus.

T I-

TITULUS SEPTIMUS.

De Sepulturis, Exequiis, & Portione Canonica.

IN eligendis Sepulturis, exequiis celebrandis, & portione Canonica persolvenda, quam Quartam vulgò nuncupamus, ut plurimùm contentiones, rixas, & jurgia non sine gravi scandalo excitari, tùm ex aliquorum Ecclesiasticorum effræni cupiditate, tùm ex Laicorum querimoniis plerumque irrationabilibus, experientia ipsa didicimus. Ut igitur omnium paci, & quieti consulamus, & rixando finem imponamus, hæc, quæ sequuntur, declarare, constituere, & sancire decrevimus.

CAPUT I.

De Sepultura Civium.

I. QUoniam, ut confessa res est, & manifesta, Jus Sepulturæ Sacramentorum Ministerium ex officio peractum consequitur; (utraque enim sunt invicem connexa, tanquam ordinata ad ea, quæ Defuncto ex pastorali officio debentur; certum quoque est quoslibet in propria Parochiali Ecclesia esse tumulandos; nisi sibi ipsi vitæ beneficio fruentes, aut jamjam mortem oppetentes, in aliena Ecclesia sepulturam elegerint. Verumenimverò, & si quisque ex jure communi in quaque Ecclesia sivè Sæcularium, sivè Regularium, ex sua voluntate tumulari possit; hujusmodi tamen electio, ut suum sortiatur effectum, explorata, & manifesta esse debet. Quicunque igitur aut benè se habens, aut infirmus, coram Parocho, aut simplici Confessario, aut coram duobus testibus; aut per alium publicum actum, etiamsi testamentum non sit; aut per testa-

men-

mentum in vita confectum, & non in morte; aut denique per nutus, & signa, ad manifestandam eligentis voluntatem, cùm loqui non valeat, Tumulationis locum elegerit; ibidem tumulandum esse, Sacra Concilii Congregatio evidentissimè declaravit (*y*).

II. Si quis verò quocunque modo propriam suæ Familiæ habeat sepulturam, etiamsi absque sepulturæ electione mortem oppetierit, non in propria Parochiali Ecclesia, sed in hoc suorum Majorum sepulchro esse condendum, nullus est qui ignoret (*z*). Uxor moriens, non sibi deputato sepulchro, virum sequitur; atque ultimum, si plures habuerit. Minores quatuordecim annis, seù Impuberes, è vita decedentes, ubi Parentes voluerint, etiam in Ecclesiis Regularium, modò ante eorundem minorum obitum electionem fecerint, tumulandos esse declaramus (*a*). Si verò non ante, sed post illorum mortem, Parentes eligant sepulturam, in Parochiali Ecclesia sunt sepeliendi; non autem in Regularium Ecclesiis; nisi ex consuetudine quadraginta annorum spatio præscripta contrarium habeatur; vel nisi ibi adsit Majorum sepulchrum.

(*y*) *In una Neapol. 13. Februar. 1666.*

(*z*) *Cap. 1. de Sepult. cap. Is, qui eod. tit. in sexto. Eadē S. Cong. ibidem ut supra.*

(*a*) *S. Episc. Cong. in Fulginaten. 27. Octobr. 1587. Et ex cap. licet, de sepult. in 6.*

III. Cùm

III. Cùm aliquem in carcerem conjectum, sine sepulturæ optione mortem occumbere contigerit, in Ecclesia suæ Parochiæ, ubi suum habet domicilium, non autem in Parochiali Ecclesia, intra cujus limites est Carcer, in quo morte moritur sua, tumulandum esse declaramus; atque funeralia emolumenta sui Domicilii Parocho deberi, quamvis Carceri proximior Parochus ad supplendam illius absentiam Sacramenta administraverit moribundo. Quod etiam cùm per accidens extra propriam Parochiam quis infirmatur, ibique moritur, a Parochia viciniori Sacramentis acceptis, inhærentes Synodali Constitutioni Prædecessoris nostri Antonii de Sangro, observandum decernimus (*b*).

(b) *Tit. de funeralibus & exequiis.*

IV. Sodalitatum Fratres, nulla facta sepulchri electione, suum diem obeuntes, (dummodò cùm iisdem sodalitatibus nomen dederunt, voluntatem suam non declaraverint, aut in eorum statutis ex nostra licentia constitutum fuisse non comperiatur;) in propria Parochiali Ecclesia, aut in Majorum suorum sepulchro, si fuerit, sepeliendos pronunciamus; prout etiam à Sacra Episcoporum Congregatione ad septimum Quæsitum

tum

tum in præcitata Neapolitana responsum fuit. Si quis verò humilitatis, aut pietatis gratia cùm Tertiariorum aut Monachorum habitu petierit tumulari, nulla tamen suæ sepulturæ facta mentione perierit; in Ecclesiam, ad quam de jure sine hujusmodi habitu elatus fuisset, efferendum esse, ac tumulandum pronunciamus (*c*).

(c) *S.Ep.C. in eadem Neapol.* 13. *Febr.*1666. *ad quæst. IX.*

V. Ut autem in hujusmodi sepulturæ optione eligentium libertati prospiciamus, & aliorum fraudes eliminemus, Parochis omnibus, Regularibus, aut aliis quibuscunque Confessariis Sodalitatum Directoribus, sub excommunicationis pœna a jure quidem lata (*d*), districtè inhibemus atque interdicimus, ne quemquam morientem *instanter* inducant, aut hortentur, ut in suis Ecclesiis se tumulandum decernat. Ecclesia verò, in qua Cadaver hujusmodi sepultum fuerit, cùm electio irrita omninò de jure habeatur, Ecclesiastico Interdicto tandiù subjaceat, donec Ecclesiæ, in qua de jure sepeliendus erat, facta fuerit Cadaveris, & omnium, quæ occasione sepulturæ ad eos pervenerunt, integra restitutio; juxta dispositionem Textus in capite primo, de sepulturis.

(d) *Clement. Cupientes, §. sanè de pœn.*

CA-

CAPUT II.

De Exterorum, aliorumque Sepultura.

I. Viatores, Advenas, aut Agrarios, qui vulgò, *Foresi*, barbarè vocantur, in Civitate nullum habentes domicilium, aut qui perfunctoriè, ideſt non animo permanendi, ſed citiùs revertendi, in Civitate commorantur, ſi mortem oppetierint etiam in Regularium domibus; in Cathedrali, aut in Matrice Eccleſia per Diœceſim, ſepeliendos pronunciamus(*e*): Proindèque ad ipſam hujuſmodi exteris ex officio ſpectat Sacramenta miniſtrare; ſibique funeralia emolumenta acquiruntur; etiamſi per accidens alius miniſtraverit Sacramenta; prout Sacra Concilii Congregatio declaravit (*f*).

(e) *S.C. Epiſc.* 9. *Jun.* 1592. *S.C. Conc.* 15. *Jun.* 1651.

(f) 22. *Januar.* 1628.

II. Exteri verò, qui in Civitate domos habent conductas, aut fixum Hoſpitium, moribundi à Parocho Eccleſiæ, intra cujus fines degunt, Sacramenta ſuſcipiant; atque in

in eadem Parochiali Ecclesia mortui sepeliantur, nisi alibi sepulturam elegerint.

III. Expositi, qui à Religiosis Domibus in Urbe Trojæ nutriuntur, ab illo Parocho recognoscantur, intra cujus Ecclesiæ limites educantur; adeòque jus funeris ad eundem pertinere declaramus.

IV. Quicunque demùm morte morietur sua, non tumuletur, nisi duodecim horæ à sua morte transierint: Qui verò morte improvisa, & subitanea fuerint correpti, per viginti quatuor horas maneant insepulti; nisi aliud Nobis visum fuerit. Qui secùs facere ausus, pœnis pro nostro arbitrio infligendis punietur.

CAPUT III.

De Sepultura Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum.

I. QUùm ex Rituali Romano summopere decens, & æquum videatur, sepulchra Sacerdotum, & quorumcunque Cleri-

corum, quoad ejus fieri poterit, à Laicorum sepulchris separanda esse, atque in decentiori loco facienda; monemus omnes hujus nostræ Diœcesios Ecclesiarum Capitula, & Rectores, ut hujusmodi sepulturas, ubi non fuerint, quamprimùm construere pro suis opibus curent; in quibus, nisi alibi tumulari placuerit, omnes Canonici, Presbyteri, & cujusque Ordinis Clerici, respectivè, sepeliantur.

II. In efferendis autem Ecclesiasticorum Cadaveribus, Rituale Romanum adamussim servetur, hac scilicet ratione. Minorum Ordinum Clerici superpelliceo supra vestem talarem ornentur: aliique in Sacris Ordinibus initiati vestibus suo Ordini convenientibus induantur; quæ eo ipso remanent suspensæ. In feretro Canonicorum etiam Insignia collocentur: Calix autem in Sacerdotum defunctorum manibus, & alia Sacra juxta illos non apponantur.

CAPUT IV.

De Exequiis.

I. CUM Defuncti Cadaver in Ecclesiam deferendum est, ut exequiæ ab Ecclesia institutæ persolvantur, & Ecclesiastica condatur sepultura; ad Campanarum signum vocati omnes, quà Sæculares, quà Regulares, ad Parochialem Ecclesiam Defuncti, aut ad Cathedralem, aut denique ad Collegiatam Ecclesiam, cùm per Canonicos associandum erit; opportunè conveniant: Indeque omnes ordine suo domum petant Defuncti. Quo accepto, via recta, aut commodiori, quoad ejus fieri poterit, ad destinatam Ecclesiam pergant psallendo; in quam omnes ingressi, dummodò Regularium Ecclesia non fuerit, exequias juxtà Ritualis Romani præscriptum persolvant.

II. Quænam verò in efferendis, & tumulandis Canonicis, Parochis, Presbyteris, & Clericis, eorumque exequiis persolvendis, sint peraganda atque observanda, tùm

in Civitate, tùm in Diœcesi, Cujusque Ecclesiæ Capitulares Constitutiones servandas esse declaramus.

III. Quamplurimis *Sacræ* Congregationis Decretis inhærentes (*g*), sub pœna nobis arbitraria interdicimus Capitulis, & Parochis, ne mortuorum Elatio, & Sepultura, quovis prætextu compositionis, aut solutionis, retardentur; sed data idonea cautione absque scandalo, rixa, & jurgio, pro sepulturæ juribus solvendis, efferantur, ac tumulentur. Nullius autem Cadaver, sine nostra, aut nostri Vicarii licentia, ante solis ortum, aut post solis occasum, & in diebus festivis ante Officiorum recitationem, & sollemnis Missæ celebrationem, efferatur.

(g) *Cong. Episcop.* 5. *Maii* 1617. & *al.*

CA-

CAPUT V.

De Emolumentis funeralibus, & Portione Canonica, seù Quarta.

I. QUæcunque Emolumenta, quæ ex funeralibus proveniunt, Proprii Parochi esse, etiamsi in aliena Ecclesia tumulari Defuncti cadaver contigerit, pro confesso apud omnes habetur. Ex Pauperibus vero, qui nullo modo sunt aliquid solvendo, itaùt suis impensis humari non possint, nihil exigendum mandamus; sed exequiæ à proprio Parocho, & quibus Portio Canonica aut Quarta, sivè quæcunque alia emolumenta de jure competerent, gratis omnia fiant; ut Sacra etiam Episcoporum Congregatio declaravit, Sanxitque (*h*). Porrò de hujusmodi miserabilitatis ac paupertatis statu per duos saltem viros probos, & fide dignos testimonium exhibeatur.

(h) 5. *Maij* 1617.

II. Sed quoniam in funeribus Pauperum

rum solent aliquando fraudes fieri, ne solvatur scilicet, quod aliundè nostris Capitulis quovis titulo solvendum erit, præsertim dùm de Decimis, & Cànonica Portione, seù Quarta, tractatur; hæc duximus præscribenda, & omninò servanda præcipimus. Quùm igitur mortem obeunt Pauperes, qui tamen prorsùs miserabiles non sint; quæ solvere poterunt, solvant omninò; & pro virili, data proportione, inter Parochum, & Capitulum dividantur. Quùm verò ad aliam Ecclesiam extra Parochialem hujusmodi pauperis defertur Cadaver, vel à Religiosis, aut aliis Sacerdotibus associatur, pro qua associatione, & tumulatione consueta emolumenta à Defuncti hæredibus solvuntur; pro solvendis autem, quæ ad Parochum, aut ad Capitulum spectant, se impares prorsùs profitentur; mandamus, ut omnia, quæ pro hujusmodi funere, & exequiis exigi solent, omninò solvantur.

(i) 27. *Maii* 1617. III. Inhærentes autem Sacræ Congregationis Concilii emanato decreto (*i*), sub pœnis nobis arbitrariis, ne plùs pro tumulandis exteris, quàm pro civibus solvitur, audeant Parochi, & Capitula exigere, inhibemus

bemus atque interdicimus. Quæ verò ab exteris ratione decimarum percipiuntur, repetenda, ut æquum, & justum est, declaramus.

IV. Pro Canonicis, ac Parochis Trojanis Defunctis, in quacunque Ecclesia intra mœnia tumulari contigerit, nihil omninò tàm pro eorum associatione, quàm pro exequiis celebrandis, exigendum mandamus; quod etiam in Presbyterorum, & Clericorum exequiis, dummodò in Cathedrali Ecclesia sepeliantur, servandum præcipimus; ut nostri Prædecessoris Antonii de Sangro Synodali Constitutioni inhæreamus. In Diœcesi pro hujusmodi Ecclesiasticorum funeribus propria statuta serventur.

V. Cùm ex laudabili providaque Constitutione Benedicti PP. XIII. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, die vigesima nona Mensis Maii, 1725. emanata, omnium quorumcunque Regularium privilegia omnia quoad Quartam Funeralem reformata, ad viam juris reducta, atque etiam revocata, & abrogata fuerint: Nos tanquam Sanctæ Sedis Apostolicæ Delegati (k), quibuscunque Regularibus in hac nostra Diœcesi commorantibus, sub

(k) Ex Conc. Romano 1725. tit. 8. c. 5.

sub suarum Ecclesiarum interdicto, præcipimus, ut si in eorum Ecclesiis Defunctos quoslibet tumulari contigerit, eorundem Defunctorum Parochis solvant, & cùm effectu tradant portionem Canonicam, seù Quartam omnium intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. Quod si funus non fieret in tumulationis die, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur; Parocho nihilominùs assignetur Portio omnium intorticiorum, & Candelarum, quæ ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Cœnotaphium, seù Tumulum honorarium, atque etiam in altaribus ejusdem Ecclesiæ accensa fuerint. Sed quoniam Portionem hanc ad proprium Parochum spectantem, in hac nostra Civitate per immemorabilem consuetudinem, deducta nostra Quarta Funeralium, omnium, quæ supersunt, medietatem esse comperimus; eidem Constitutioni inhærentes approbamus, confirmamus, & servandam præcipimus, jubemus, & sancimus. Sed ut hæc Pontificia Constitutio neminem fugiat, in hujus Synodi Appendi-

ce

ce adſcribendam curabimus. Hæc autem Parochi Portio funeralium, cùm noſtræ Cathedralis Capitulum Defuncti Cadaver aſſociaverit, inter ipſum Parochum, & Capitulum, ſicut hactenùs eſt ſervatum, æqualiter dividatur.

VI. Quod ſi non in Regularium Eccleſiis, ſed in propria Parochia, aut in cujuſcunque Sodalitatis Eccleſia Defunctus ſepeliatur, idemque Capitulum interfuerit, detracta Quarta Epiſcopali, quod ſupereſt, eodem modo inter Capitulum, & Parochum volumus dividendum. Si Capitulum non interfuerit, dummodò inter ſuæ Pareciæ fines Eccleſia tumulans fuerit, totum ad proprium Parochum ſpectare declaramus. Si verò Eccleſia tumulans intra Cathedralis Parochiæ limites fuerit, etiamſi Capitulum non interfuerit, Cera inter proprium Defuncti Parochum, ipſumque Capitulum, deducta Epiſcopali quarta, æqualiter dividatur. Hoc enim non ſolùm ex legitima tot annorum præſcriptione, & praxi conſtanter ſemper ſervata, ſed etiam in ſuperioritatis ſignum, noſtræ Cathedrali debendum pronunciamus.

VII. Quidquid demùm in illorum,

CAPUT I.

De Sepultura Civium.

I. QUoniam, ut confessa res est, & manifesta, Jus Sepulturæ Sacramentorum Ministerium ex officio peractum consequitur; (utraque enim sunt invicem connexa, tanquam ordinata ad ea, quæ Defuncto ex pastorali officio debentur; certum quoque est quoslibet in propria Parochiali Ecclesia esse tumulandos; nisi sibi ipsi vitæ beneficio fruentes, aut jamjam mortem oppetentes, in aliena Ecclesia sepulturam elegerint. Verumenimverò, & si quisque ex jure communi in quaque Ecclesia sivè Sæcularium, sivè Regularium, ex sua voluntate tumulari possit; hujusmodi tamen electio, ut suum sortiatur effectum, explorata, & manifesta esse debet. Quicunque igitur aut benè se habens, aut infirmus, coram Parocho, aut simplici Confessario, aut coram duobus testibus; aut per alium publicum actum, etiamsi testamentum non sit; aut per testamen-

mentum in vita confectum, & non in morte; aut denique per nutus, & signa, ad manifestandam eligentis voluntatem, cùm loqui non valeat, Tumulationis locum elegerit; ibidem tumulandum esse, Sacra Concilii Congregatio evidentissimè declaravit (y).

II. Si quis verò quocunque modo propriam suæ Familiæ habeat sepulturam, etiamsi absque sepulturæ electione mortem oppetierit, non in propria Parochiali Ecclesia, sed in hoc suorum Majorum sepulchro esse condendum, nullus est qui ignoret (z). Uxor moriens, non sibi deputato sepulchro, virum sequitur; atque ultimum, si plures habuerit. Minores quatuordecim annis, seù Impuberes, è vita decedentes, ubi Parentes voluerint, etiam in Ecclesiis Regularium, modò ante eorundem minorum obitum electionem fecerint, tumulandos esse declaramus (a). Si verò non ante, sed post illorum mortem, Parentes eligant sepulturam, in Parochiali Ecclesia sunt sepeliendi; non autem in Regularium Ecclesiis; nisi ex consuetudine quadraginta annorum spatio præscripta contrarium habeatur; vel nisi ibi adsit Majorum sepulchrum.

III. Cùm

(y) In una Neapol. 13. Februar. 1666.

(z) Cap. 1. de Sepult. cap. Is, qui eod. tit. in sexto. Eadē S. Cong. ibidem ut supra.

(a) S. Episc. Cong. in Fulginaten. 27. Octobr. 1587. Et ex cap. licet, de sepult. in 6.

III. Cùm aliquem in carcerem conjectum, sine sepulturæ optione mortem occumbere contigerit, in Ecclesia suæ Parochiæ, ubi suum habet domicilium, non autem in Parochiali Ecclesia, intra cujus limites est Carcer, in quo morte moritur sua, tumulandum esse declaramus; atque funeralia emolumenta sui Domicilii Parocho deberi, quamvis Carceri proximior Parochus ad supplendam illius absentiam Sacramenta administraverit moribundo. Quod etiam cùm per accidens extra propriam Parochiam quis infirmatur, ibique moritur, a Parochia viciniori Sacramentis acceptis, inhærentes Synodali Constitutioni Prædecessoris nostri Antonii de Sangro, observandum decernimus (*b*).

(b) *Tit. de funeribus & exequiis.*

IV. Sodalitatum Fratres, nulla facta sepulchri electione, suum diem obeuntes, (dummodò cùm iisdem sodalitatibus nomen dederunt, voluntatem suam non declaraverint, aut in eorum statutis ex nostra licentia constitutum fuisse non comperiatur;) in propria Parochiali Ecclesia, aut in Majorum suorum sepulchro, si fuerit, sepeliendos pronunciamus; prout etiam à Sacra Episcoporum Congregatione ad septimum Quæsitum

tum

tum in præcitata Neapolitana responsum fuit. Si quis verò humilitatis, aut pietatis gratia cùm Tertiariorum aut Monachorum habitu petierit tumulari, nulla tamen suæ sepulturæ facta mentione perierit; in Ecclesiam, ad quam de jure sine hujusmodi habitu elatus fuisset, efferendum esse, ac tumulandum pronunciamus (*c*).

V. Ut autem in hujusmodi sepulturæ optione eligentium libertati prospiciamus, & aliorum fraudes eliminemus, Parochis omnibus, Regularibus, aut aliis quibuscunque Confessariis Sodalitatum Directoribus, sub excommunicationis pœna a jure quidem lata (*d*), districtè inhibemus atque interdicimus, ne quemquam morientem instanter inducant, aut hortentur, ut in suis Ecclesiis se tumulandum decernat. Ecclesia verò, in qua Cadaver hujusmodi sepultum fuerit, cùm electio irrita omninò de jure habeatur, Ecclesiastico Interdicto tandiù subjaceat, donec Ecclesiæ, in qua de jure sepeliendus erat, facta fuerit Cadaveris, & omnium, quæ occasione sepulturæ ad eos pervenerunt, integra restitutio; juxta dispositionem Textus in capite primo, de sepulturis.

(c) *S.Ep.C. in eadem Neapol. 13. Febr.1666. ad quæst. IX.*

(d) *Clement. Cupientes, §. sanè de pœn.*

CA-

CAPUT II.

De Exterorum, aliorumque Sepultura.

I. Viatores, Advenas, aut Agrarios, qui vulgò, *Foresi*, barbarè vocantur, in Civitate nullum habentes domicilium, aut qui perfunctoriè, ideſt non animo permanendi, ſed citiùs revertendi, in Civitate commorantur, ſi mortem oppetierint etiam in Regularium domibus; in Cathedrali, aut in Matrice Eccleſia per Diœceſim, ſepeliendos pronunciamus (*e*): Proindèque ad ipſam hujuſmodi exteris ex officio ſpectat Sacramenta miniſtrare; ſibique funeralia emolumenta acquiruntur; etiamſi per accidens alius miniſtraverit Sacramenta; prout Sacra Concilii Congregatio declaravit (*f*).

(e) S.C. Epiſc. 9. Jun. 1592. S.C. Conc. 15. Jun. 1651.

(f) 22. Januar. 1628.

II. Exteri verò, qui in Civitate domos habent conductas, aut fixum Hoſpitium, moribundi à Parocho Eccleſiæ, intra cujus fines degunt, Sacramenta ſuſcipiant; atque in

in eadem Parochiali Ecclesia mortui sepeliantur; nisi alibi sepulturam elegerint.

III. Expositi, qui à Religiosis Domibus in Urbe Trojæ nutriuntur, ab illo Parocho recognoscantur, intra cujus Ecclesiæ limites educantur; adeòque jus funeris ad eundem pertinere declaramus.

IV. Quicunque demùm morte morietur sua, non tumuletur, nisi duodecim horæ à sua morte transierint: Qui verò morte improvisa, & subitanea fuerint correpti, per viginti quatuor horas maneant insepulti; nisi aliud Nobis visum fuerit. Qui secùs facere ausus, pœnis pro nostro arbitrio infligendis punietur.

CAPUT III.

De Sepultura Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum.

I. QUùm ex Rituali Romano summopere decens, & æquum videatur, sepulchra Sacerdotum, & quorumcunque Cleri-

CAPUT IV.

De Exequiis.

I. CUM Defuncti Cadaver in Ecclesiam deferendum est, ut exequiæ ab Ecclesia institutæ persolvantur, & Ecclesiastica condatur sepultura; ad Campanarum signum vocati omnes, quà Sæculares, quà Regulares, ad Parochialem Ecclesiam Defuncti, aut ad Cathedralem, aut denique ad Collegiatam Ecclesiam, cùm per Canonicos associandum erit, opportunè conveniant: Indeque omnes ordine suo domum petant Defuncti. Quo accepto, via recta, aut commodiori, quoad ejus fieri poterit, ad destinatam Ecclesiam pergant psallendo; in quam omnes ingressi, dummodò Regularium Ecclesia non fuerit, exequias juxtà Ritualis Romani præscriptum persolvant.

II. Quænam verò in efferendis, & tumulandis Canonicis, Parochis, Presbyteris, & Clericis, eorumque exequiis persolvendis, sint peragenda atque observanda, tùm

in Civitate, tùm in Diœcesi, Cujusque Ecclesiæ Capitulares Constitutiones servandas esse declaramus.

III. Quamplurimis Sacræ Congregationis Decretis inhærentes (*g*), sub pœna nobis arbitraria interdicimus Capitulis, & Parochis, ne mortuorum Elatio, & Sepultura, quovis prætextu compositionis, aut solutionis, retardentur; sed data idonea cautione absque scandalo, rixa, & jurgio, pro sepulturæ juribus solvendis, efferantur, ac tumulentur. Nullius autem Cadaver, sine nostra, aut nostri Vicarii licentia, ante solis ortum, aut post solis occasum, & in diebus festivis ante Officiorum recitationem, & sollemnis Missæ celebrationem, efferatur.

(g) Cong. *Episcop.* 5. *Maii* 1617. *& al.*

CA-

CAPUT V.

De Emolumentis funeralibus, & Portione Canonica, seù Quarta.

I. QUæcunque Emolumenta, quæ ex funeralibus proveniunt, Proprii Parochi esse, etiamsi in aliena Ecclesia tumulari Defuncti cadaver contigerit, pro confesso apud omnes habetur. Ex Pauperibus vero, qui nullo modo sunt aliquid solvendo, itaùt suis impensis humari non possint, nihil exigendum mandamus; sed exequiæ à proprio Parocho, & quibus Portio Canonica aut Quarta, sivè quæcunque alia emolumenta de jure competerent, gratis omnia fiant; ut Sacra etiam Episcoporum Congregatio declaravit, Sanxitque (*h*). Porrò de hujusmodi miserabilitatis ac paupertatis statu per duos saltem viros probos, & fide dignos testimonium exhibeatur.

(h) 5. Maij 1617.

II. Sed quoniam in funeribus Pauperum

rum solent aliquando fraudes fieri, ne solvatur scilicet, quod aliundè nostris Capitulis quovis titulo solvendum erit, præsertim dùm de Decimis, & Canonica Portione, seù Quarta, tractatur; hæc duximus præscribenda, & omninò servanda præcipimus. Quùm igitur mortem obeunt Pauperes, qui tamen prorsùs miserabiles non sint; quæ solvere poterunt, solvant omninò; & pro virili, data proportione, inter Parochum, & Capitulum dividantur. Quùm verò ad aliam Ecclesiam extra Parochialem hujusmodi pauperis defertur Cadaver, vel à Religiosis, aut aliis Sacerdotibus associatur, pro qua associatione, & tumulatione consueta emolumenta à Defuncti hæredibus solvuntur; pro solvendis autem, quæ ad Parochum, aut ad Capitulum spectant, se impares prorsùs profitentur; mandamus, ut omnia, quæ pro hujusmodi funere, & exequiis exigi solent, omninò solvantur.

III. Inhærentes autem Sacræ Congregationis Concilii emanato decreto (*i*), sub pœnis nobis arbitrariis, ne plus pro tumulandis exteris, quàm pro civibus solvitur, audeant Parochi, & Capitula exigere, inhibemus

(i) 27. *Maii* 1617.

bemus atque interdicimus. Quæ verò ab exteris ratione decimarum percipiuntur, repetenda, ut æquum, & justum est, declaramus.

IV. Pro Canonicis, ac Parochis Trojanis Defunctis, in quacunque Ecclesia intra mœnia tumulari contigerit, nihil omninò tàm pro eorum associatione, quàm pro exequiis celebrandis, exigendum mandamus; quod etiam in Presbyterorum, & Clericorum exequiis, dummodò in Cathedrali Ecclesia sepeliantur, servandum præcipimus; ut nostri Prædecessoris Antonii de Saugro Synodali Constitutioni inhæreamus. In Diœcesi pro hujusmodi Ecclesiasticorum funeribus propria statuta serventur.

V. Cùm ex laudabili providaque Constitutione Benedicti PP. XIII. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, die vigesima nona Mensis Maii, 1725. emanata, omnium quorumcunque Regularium privilegia omnia quoad Quartam Funeralem reformata, ad viam juris reducta, atque etiam revocata, & abrogata fuerint: Nos, tanquam Sanctæ Sedis Apostolicæ Delegati (k), quibuscumque Regularibus in hac nostra Diœcesi commorantibus, sub

(k) Ex Conc. Romano 1725. tit. 8. c. 5.

sub suarum Ecclesiarum interdicto, præcipimus, ut si in eorum Ecclesiis Defunctos quoslibet tumulari contigerit, eorundem Defunctorum Parochis solvant, & cùm effectu tradant portionem Canonicam, seù Quartam omnium intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur: Quod si funus non fieret in tumulationis die, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur; Parocho nihilominùs assignetur Portio omnium intorticiorum, & Candelarum, quæ ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Cœnotaphium, seù Tumulum honorarium, atque etiam in altaribus ejusdem Ecclesiæ accensa fuerint. Sed quoniam Portionem hanc ad proprium Parochum spectantem, in hac nostra Civitate per immemorabilem consuetudinem, deducta nostra Quarta Funeralium, omnium, quæ supersunt, medietatem esse comperimus; eidem Constitutioni inhærentes approbamus, confirmamus, & servandam præcipimus, jubemus, & sancimus. Sed ut hæc Pontificia Constitutio neminem fugiat, in hujus Synodi Appendi-

ce

ce adſcribendam curabimus. Hæc autem Parochi Portio funeralium, cùm noſtræ Cathedralis Capitulum Defuncti Cadaver aſſociaverit, inter ipſum Parochum, & Capitulum, ſicut hactenùs eſt ſervatum, æqualiter dividatur.

VI. Quod ſi non in Regularium Eccleſiis, ſed in propria Parochia, aut in cujuſcunque Sodalitatis Eccleſia Defunctus ſepeliatur, idemque Capitulum interfuerit, detracta Quarta Epiſcopali, quod ſupereſt, eodem modo inter Capitulum, & Parochum volumus dividendum. Si Capitulum non interfuerit, dummodò inter ſuæ Pareciæ fines Eccleſia tumulans fuerit, totum ad proprium Parochum ſpectare declaramus. Si verò Eccleſia tumulans intra Cathedralis Parochiæ limites fuerit, etiamſi Capitulum non interfuerit, Cera inter proprium Defuncti Parochum, ipſumque Capitulum, deducta Epiſcopali quarta, æqualiter dividatur. Hoc enim non ſolùm ex legitima tot annorum præſcriptione, & praxi conſtanter ſemper ſervata, ſed etiam in ſuperioritatis ſignum, noſtræ Cathedrali debendum pronunciamus.

VII. Quidquid demùm in illorum,

qui Civitate non sunt donati, funeribus ratione Decimarum percipitur, ex pacto inter Parochos hujus Civitatis, & nostræ Cathedralis Canonicos multis abhinc annis utrinque inito, & à nostro Prædecessore de Sangro per Synodalem Constitutionem confirmato, hoc modo dividendum declaramus. In quatuor partes distribuatur; quarum una Nobis pro nostra quarta solvatur; secunda proprio Parocho detur; & reliquæ duæ partes inter Canonicos dividantur. Quod si ab iisdem Canonicis funus associabitur, tunc Parochus ad suam portionem, uti Canonicus, juxtà præscriptam initam Concordationem, admittatur; ita ut quantum quisque Canonicus pro sua rata recipit, tantùm, & non ampliùs, ipse Parochus accipiat.

VIII. Noverint tamen omnes sive Parochi, sivè Capitulorum Procuratores, suum esse munus, sibique incumbere, nostram Episcopalem Quartam ab hæredibus Defuncti exigere, nostrisque Economis, seù Quartulanis, deferre; ut Sacra Episcoporum Congregatio declaravit (*l*): idcircò si omiserint, pœna dupli punientur.

(l) 14. April. 1615.

TI-

TITULUS OCTAVUS,

De Religiosis Domibus, seù Laicorum Confraternitatibus.

QUam nostri animi Lætitiam, quamplures in hac nostra Civitate, & Diœcesi religiosas Domos, seù Confraternitates, & Loca Pia, comperientes, nostri Episcopatus initio habuimus, hoc tempore in tristitiam verti sentimus; eò quod nec canonicè erectas, & nec salubribus regulis suffultas videamus. Prospicere igitur huic malo cupientes, hæc decernenda statuimus.

CAPUT I.

De Confraternitatum erectione, & statutis.

QUoniam Apostolica Sancta Sedes, quæ singulis quibusque Episcopis jura sua inviolata conservat, ubi primùm quamplurimas Confraternitates absque Episcoporum consensu erectas deprehendit, anno millesimo Sexcentesimo quarto, omnes omninò Societates aut Confraternitates abolevit, Constitutione S. M. Clementis PP. VIII. quæ incipit, *Quæcunque à Sede Apostolica*; præcipiens, ut quæque Sodalitates seù Confraternitates ante præfatum annum institutæ, quippè quæ nullæ sint, nullisque privilegiis, gratiis, Indulgentiisque frui valeant, ab integro erigerentur, servatis prorsùs quæ in eadem Constitutione continentur; nostrum officium est, ut religiosissimè quæ ibidem præcepta sunt, custodiamus, omnique sedulitate in praxim demandemus.

I. Quo

I. Quocircà præcipimus omnibus, & singulis Sodalitatum Rectoribus, quæ in hac Civitate, & Diœcesi erectæ reperiuntur, ut sex mensibus ab hujus Synodi promulgatione elapsis, ipsarum Erectionum documenta, statuta, & Regulas ad Nos deferant; ut quæ nostræ Pastoralis Curæ vigilantia postulat, exequi quamprimùm valeamus; quæ scilicet in sua erectione nullæ sunt Confraternitates, iterùm, ut oportet, erigantur; & quæ legitimè erectæ sunt, ad perfectiorem modum reducantur. Intereà tamen loci pro bono Sodalitatum seù Confraternitatum, quà legitimè erectarum, quà iterum erigendarum, regimine, hæc in præsentiarum duximus præscribenda.

II. Quæcunque Confraternitates penes se Inventarium reddituum, aut elemosinarum, legatorum, & onerum Missarum, Album etiam seù Tabellam Confratrum, conficiant, habeantque.

III. Et quia hujusmodi Sodalitates ad charitatis unitionem fovendam, ad majorem devotionem excitandam, pietatisque munia obeunda peculiariùs, atque ad orationis, aliorumque bonorum operum exercitia pro-

se-

sequenda, ab Ecclesia sunt institutæ; mandamus ut quarumcunque Confraternitatum Fratres quaque Dominica die, aut alia commodiori, in suas conveniant Ecclesias seù Oratoria, ad parvum Officium B. Mariæ Virginis recitandum, aut aliud; prout earundem Sodalitatum statuta præcipient; aliaque pietatis exercitia peragenda, quæ à suis institutis aut regulis præscribentur. Qui verò literas haudquaquam norunt, tertiam partem Rosarii ejusdem Sacrosanctæ Virginis recitabunt. Omnes quoque cujusque sexus, quindenis saltem diebus, suorum peccatorum confessionem faciant, sacraque Eucharistia reficiantur. Eamobrem præcipimus, ut quæque Sodalitas Cappellanum Confessarium per Nos approbatum, aut approbandum, habeat, qui Fratrum, & Sororum Confessiones excipere, Verbum Dei quaque Congregationis die predicare, eosque in cunctis piis functionibus dirigere possit: Cui, cùm dignus sit operarius mercede sua, certum præstimonium assignari mandamus.

IV. Fratres autem illi, qui pietatis opera, ad suorum statutorum præscriptum, sine legitima causa, per Præfectos aut Prio-

res

res probandæ, obire per mensem neglexerint, voce activa, & passiva per annum priventur. Idcircò Sæculares Confratres Venerabilis Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti in hac Civitate multis abhinc annis institutæ, si per mensem Corpus Christi, cùm ad infirmos defertur, alternatim ad ipsius associationem per Priores destinati aut destinandi, associare non curaverint, hujusmodi præscripta pœna multentur.

CAPUT II.

De Confratrum optione.

I. QUùm piarum Sodalitatum Fratres peculiari quidem modo morum integritatem, vitæque Sanctimoniam præaliis præseferre debeant; æquum omninò est, ut in hujusmodi Confraternitatum Confratres, Facinorosi, Infames, Usurarii, Concubinarii, peccatores publici, aut alii hujus farinæ homines, nec non qui nostræ Sanctæ Fidei rudimenta aut Mysteria saltem principaliora nesciunt, nequaquam cooptentur. Quod si quis

quis in Fratrem cooptatus, à bono suscepto tramite deerraverit, salutaribus corripiatur monitionibus; qui si ità monitus ad meliorem frugem redire non curaverit, de Fratum Albo statim amoveatur.

II. Qui autem in Fratrum numerum adscribi studuerint, nonnisi per prævium debitæ dispositionis examen à Sodalitatis Confessario faciendum, proponantur; necnon per secreta Fratum suffragia recipiantur. Vocem tamen in Congregatione nunquam habeant, nisi Probationis annum expleverint, & comprobationem à majori saltem Confratrum parte, etiam per secretum scrutinium, non habuerint; suamque Professionem, ut moris est, non emiserint. Qui secùs fuerit cooptatus, tanquam Frater nullo modo habeatur.

III. Omnium canonicè aggregatorum Fratrum, aut Sororum nomina in distinctis Libris conscribantur; eorumque Album, seù Tabella, in Sacrarii, aut in ipsiusmet Oratorii parietibus ob omnium oculos affigatur.

IV. Ut denique omnes intelligant, Cælestes Ecclesiæ Thesauros non quæstus aut alicujus lucri causa, sed pietatis, & charitatis

tatis excitandæ gratia, & Apostolicæ Sedis benignitate Christifidelibus aperiri; præcipimus, & mandamus, ut pro hujusmodi Fratrum optione, aut admissione, nullum omninò coactum emolumentum recipiatur: Quæ verò ab ipsis Fratribus gratis impertiri solent, pro Divini cultus, aut piorum operum Sodalitatis manutentione, sine ulla noxa recipi posse pronunciamus.

CAPUT III.

De Officialium electione.

I. OFficiales, cujusque generis fuerint, quique ex Ipsorum Confratrum Cœtu seligi debent, ab omnibus, aut saltem à majori Fratrum parte, per secreta suffragia, quoquo anno eligantur, coram Nobis, aut nostro Generali Vicario in Civitate, coram Vicariis Foraneis in Diœcesi, sub pœna nullitatis; ut hactenùs semper est observatum; exceptis tamen iis, qui peculiari privilegio, aut inveterata, & immemorabili consuetudine, hanc nostram præsentiam non admittunt.

II. Facta demùm Officialium optione, Priorum scilicet, aut Præfectorum, aut quocunque alio nomine nuncupentur, qui ad rerum temporalium Confraternitatum regimen sunt destinati, suum munus exercere non audeant, nisi priùs Nos adeant; ac juramentum coram Nobis, aut nostro Vicario, de fideli administratione præstent. Peracta verò administratione, & sui Officii partibus per annum expletis, coram Rationalibus à Nobis deputandis, sub pœna Interdicti, rationes reddere satagant; quemadmodum ad hæc usque tempora servatum esse omnes norunt.

III. Hortamur autem omnes hujusmodi Officiales, ut omnem curam, & studium in sodalitatis rerum administrationem impendere conentur; omnemque lapidem moveant, ne vituperanda eorum incuria fructus, credita, aut redditus pro derelictis habeantur; neque annuos proventus in impensis excedant; nec in vanos usus impendant. Si secùs fecerint, districtam in die Judicii, de præstito præsertim juramento, apud Dominum sunt rationem redituri; & per Nos etiam opportunis animadversionibus corripientur.

CA-

CAPUT IV.

Nonnulla Confratriis Interdicuntur.

I. QUùm sæpenumero plura sibi arrogare jura soleant Sodalitates, quæ nullo quidem pacto sibi ex jure conveniunt, quod plerumque dissidiorum infausta est Origo; nostrum profectò est, inter æquum, & justum eas continere. Nullius igitur Confraternitatis Fratres sibi Sepulchrum construere in suis Oratoriis præsumant, sine nostra licentia in scripto exarata. Qui secùs ausu suo fecerint, Interdicto suas Ecclesias sentient obnoxias.

II. Confraternitates, quæ Saccis utuntur, in publicis Processionibus vocatæ omninò accedant; suumque Cappellanum in hujusmodi Processionibus secùm habeant: Crucem tamen præferre, quæ per Clericos præferri solet, eis sit vetitum.

III. Nullas Processiones per Civitatem fa-

facere; nec Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum in suis Oratoriis exponere, aut per Civitatem circumducere, sine nostra aut nostri Vicarii licentia, præsumant Confratres: aliter, sua Oratoria seu Ecclesias Interdicto afficiemus, Eosque arbitrariis pœnis insectabimur.

IV. Nemini in eorum Oratoriis Ecclesiisve sepultura concedatur, nisi id eis licere faciant nobis exploratum. Ubi vero Confratribus jus sepulturæ est concessum, nulli alteri, præter Confratres, concedatur, nec etiam per electionem. Nullius etiam funus, præterquamquod si de eorum sit Cætu, associare audeant; nisi expressè, & specialiter vocati; aliter, quodcunque ex hujusmodi associatione fuerit quæsitum, eos amissuros pronunciamus.

TI-

TITULUS NONUS.

De Bonorum Ecclesiæ, & Piorum Locorum administratione.

ECclesiarum, aut quorumlibet Piorum Locorum, Confraternitatum scilicet, Hospitalium, Monasteriorum, Montium Pietatis, aut similium, administratio bonorum operosa quidem res est, & periculis plena: Ex quo fit, ut inter nostræ Pastoralis Curæ sollicitudines hæc minimè postremum locum obtineat, sed nostram æquè oculatam solertiam postulet, flagitetque, unde sit.

CA-

CAPUT I.

De alienatione Ecclesiæ bonorum.

(m) *L. Jubemus 2. & in Auth. hoc jus porrectum, Cod. de Sacros. Eccl. In lib. Decretal. tit. de rebus Eccl. alien.*

CErtum profectò ex utroque Jure est (*m*), bona omnia Ecclesiarum cultui, & Conservationi, nec non suorum Ministrorum, (qui Altari inservientes, de Altari vivere debent) ex pia Fundatorum Benefactorumque voluntate, liberalissimè dicata, neutiquàm ad cujusque Administratoris libitum arbitriumque alienari, aut distrahi posse: Hinc est quod fel. mem. Paulus PP. II. in sua satis superque Salubri Constitutione, quæ incipit, *Ambitiosæ Cupiditati* (*n*), excommunicationis latæ sententiæ mucrone hujusmodi temerarios ausus transfodit. Nos igitur talia attendentes, ut nostri Officii partes, ut oportet, omni sedulitate adimpleamus; hujus memoratæ Constitutionis exactam observantiam in hac nostra prima Diœcesana Synodo promovendam decrevimus.

(n) *Inter Extravag. Commun. sub tit. de reb. Eccl. non alienan.*

I. Nul-

I. Nullus itaque, sivè Ecclesiasticus, sivè Sæcularis fuerit, bonorum Ecclesiarum, aut quorumlibet Piorum Locorum Administrator, eadem bona immobilia, aut mobilia pretiosa, sine Sanctæ sedis Apostolicæ beneplacito, quoquo modo distrahere, alienare, aut permutare audeat. Si secùs factum fuerit, non solùm alienantes, sed etiam hujusmodi alienata bona recipientes, ipso facto Excommunicationis pœna se noverint affectos; initumque contractum eo ipso nullum, invalidum, nulliusque roboris esse cognoscant. Sed ut quammaxima cautione in tali re in posterùm procedatur, in præsentiarum præcipimus ac mandamus, ut, cùm aliqua Ecclesiarum, aut Locorum Piorum bona alienari contigerit, Nos consulere certioresque facere non omittant Administratores; ut ad ejusdem Paulinæ Constitutionis præscriptum, & formam omnia dirigere, & disponere valeamus.

II. In ejusdem Constitutionis pœnas incursos declaramus eos omnes, qui bonorum Ecclesiæ alienationis ineunt Contractus, interposita clausula, *Salvo assensu impetrando*; & interim effectiva possessio intercedit.

III. Omni-

III. Omnibus insuper, & singulis Rerum Ecclesiarum Administratoribus sub eadem pœna interdicimus, ne summo Pontifice inconsulto, earum bona in Emphyteusim concedant, præterquàm in casibus à jure permissis; ut ex eadem Extravaganti, & Canone, *Terrulas* 12. *q.* 2. satis evidenter habetur. In istis verò casibus nostram licentiam, approbationemque expetendam esse, sub Interdicti pœna, mandamus.

IV. Inhærentes etiam præfatæ Apostolicæ Constitutioni, sub excommunicatione latæ sententiæ prohibemus, ne super peculiari eorundem Bonorum hypotheca pecuniæ recipiantur. Neque Pecunia Ecclesiæ, ex redemptione census accepta, sine requisita sollemnitate, in ejusdem Ecclesiæ nominum seù Debitorum extinctionem convertatur; nisi urgens efflagitet necessitas, per Nosmetipsos probanda, & perpendenda. Nec insuper magna Pecuniæ summa, emendis stabilibus aut mobilibus pretiosis comparata ac destinata, ad emenda mobilia usu obvia impendatur: quùm enim ad fructificandum in Ecclesiæ utilitatem sit deputata, ad ejusdem profectò dotem pertinere, exploratum habetur.

V. Hinc

V. Hinc quoque quibuslibet hujusmodi bonorum Administratoribus inhibemus atque vetamus, ne illius pecuniæ summam, quæ pro sorte, aut pro modò memorata bonorum stabilium, aut mobilium pretiosorum emtione est reservata, quovis prætextu, & cautione alicui mutuam dare audeant; neque ad alios usus, quàm est comparata, (etiam cùm voluntate illam de integro reponendi cùm opportunum fuerit;) nullo modo, sub excommunicationis pœna, impendere præsumant. Cùm verò pecunia ad annuos census, aut ad stabilium emtionem credenda est, & collocanda, mandamus, ut nonnisi de omnium Capitularium, aut Confratrum, aut aliarum personarum consensu per vota secreta expresso, sub pœna nullitatis Contractus, aliisque ad nostrum libitum infligendis, audeant hoc facere.

VI. Et quoniam non sine gravi nostri animi dolore ex hominibus fide dignis accepimus, quosdam Confraternitatum, aut Piorum Locorum Administratores temerè, & non ratione, considerabilem quandoque eorundem Locorum partem Armentorum aut Gregum vendidisse, cùm magno ipsorum

Locorum detrimento ; ut impensas plerunque superfluas aut vanas facerent ; aut etiam ut certis oneribus facerent satis , quibus tamen aliundè ex aliis redditibus consulere poterant ; quos repetere aut suo vitio , & incuria , aut denique aliqua futili ratione neglexerunt : idcircò omnibus , & singulis Sodalitatum , aliorumque Piorum Locorum Administratoribus , & Procuratoribus sub Interdicti pœna præcipimus ac mandamus , ut in posterùm in hujusmodi armentorum venditionibus hæc observent . Si Vaccæ scilicet , aut aliud de Armentis , & gregibus , sint inutiles , vulgò *di scarto* ; prævio quatuor aut plurium Deputatorum consilio vendantur : Si verò aliquis numerus Vaccarum utilium , vulgò *di vita* , alienandus est , non solùm fiat de eorundem Deputatorum consensu , sed etiam de nostræ Curiæ consilio ; ut omnem religionis seù scrupuli umbram caveant omnes .

VII. Quia demùm perpetua Ecclesiæ Jura inter immobilia bona computantur , eorundem transactiones aut quascunque alienationes , sine sollemnitatibus in dicta Paulina Constitutione præscriptis , sub Excommuni-

ca-

catione latæ ſententiæ, fieri omninò interdicimus. Eademque pœna ſe noverint etiam affectos, qui Legata, Donationes, aut Hæreditates, Eccleſiis Lociſve Piis relictas aut donatas, auſu quidem ſuo, abdicare aut repudiare præſumſerint: Legis enim miniſterio, abſque acceptatione, & aditione relictarum legatarumque rerum dominium in Ipſas dicitur translatum.

CAPUT II.

De Bonorum Eccleſiæ Locatione.

I. CUM ex debito noſtri Paſtoralis Officii Apoſtolicas Conſtitutiones exequi, atque exequendas curare, noſtrarumque Eccleſiarum utilitati proſpicere impensâ operâ debeamus; ſingulis quibuſque hujus noſtræ Diœceſios Capitulis, Cleris, Sacerdotia ſeù Beneficia obtinentibus, nec non Piorum Locorum Adminiſtratoribus, ſub Excommunicatione latæ ſententiæ vetamus, ne Eccle-

siæ Bona, cujusque sint generis, Domus scilicet ad habitandum, Pascua, Arabilia, Vineas, aut alia hujusmodi, ultra triennium audeant locare . . . . .

II. Et quoniam non parùm detrimenti Ecclesiarum Jura plerunque ex tacita reconductione, in longum tempus protracta, accepisse, diuturna experientia experti sumus; sub excommunicationis pœna supradictis omnibus Capitulis, & Ecclesiarum Administratoribus præcipimus, ut quarumcunque Locationum, quæ hactenùs sine debita cautione, sed per tacitam reconductionem fortassis factæ reperiuntur, infra tres menses ab hujus Synodalis Decreti promulgatione, necessarias faciant Scripturas, & cautiones; easque singulis quibusque trienniis curent renovare.

III. Sed ut in Ecclesiasticorum bonorum locationibus faciendis omnium fraudum atque Collusionum ansa auferatur, quæ ut plurimùm ad Ecclesiarum detrimentum obrepere solent; mandamus, ut hujusmodi locationes semper prævia Edictorum publicatione deinceps fiant, Conductorumque oblationes in scriptis recipiantur. Hoc enim pa-

cto

cto, remota quacunque occulta, & clandestina pactione, Locationum contractus publicè fient; omnis doli arcebitur occasio; utiliorque recipietur oblatio.

CAPUT III.

De Legatis Piis.

I. SI justum est Ecclesiarum Bona nullo pacto suis ausibus quomodolibet alienare; æquum etiam putatur Pietatis Deposita, & Victualia charitatis, quæ ex piissimis Testatorum dispositionibus Locis Piis legantur, fideliter custodire. Hinc Notariis, Scribis, aliisque omnibus, qui Testamenta, Codicillos, aliasve tabulas scripserunt, aut ab aliis scriptas, aut denique quæque alia scripturarum genera ad Ecclesias, & Pia Loca quovis modo spectantium, penes se detinent, aut ab aliis noverint detineri, sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ut ad tres menses post hujus Synodi promulgationem, ad Nos, aut ad nostram Curiam deferre minimè

nimè negligant. Poſthac verò ſi de hujuſmodi Legatis Piis Notarios rogari contigerit, intra menſem à die obitus illius, cujus Teſtamentum, aut aliud ejuſmodi literis exaraverint, particulam Teſtamenti, aut alterius Pii Legati, deſcriptam, atque auctoritate publica munitam, Nobis, aut noſtro Vicario, aut Piorum Locorum Superiori, debita ſibi mercede ſoluta, ſub eadem Excommunicationis pœna poſt elapſum tempus incurrenda, ſtudeant exhibere.

II. Parochos verò monemus, ut antequam Defuncti Corpus ad ſepeliendum efferatur, tùm à Notariis, tùm à Defuncti propinquis, de hujuſmodi Legatis Piis diligenter, & ſolerter inquirant; & infra triduum Nos faciant certiores; ut quantum in Domino poterimus, illorum executioni proſpicere valeamus. Librum denique, in quo diligenter Legata olim facta, & nondum ſoluta, nec non Legata deinceps facienda, deſcribantur, Parochi omnes conficiant, ſerventque; atque in Sancta Viſitatione Nobis exhibeant. Si omiſerint, ad noſtrum libitum multabuntur.

CA-

CAPUT IV.

De Montibus Frumentariis.

UT morosæ pauperum necessitati, qui suæ inopiæ sublevandæ gratia ab aliis mutuari cupientes, plerunque insatiabili Usurariorum avaritiæ servire coguntur, levamen aliquod pro nostris opibus afferre possimus, Frumentariorum Montium institutionem singulis quibusque hujus nostræ Diœcesios Oppidis in hac præsenti Synodo proponimus. Regulæ verò pro recta prædictorum Montium erectione atque administratione, in ultimo Provinciali Concilio, anno 1729. Beneventi habito à fel. mem. Benedicto PP. XIII. habentur.

TI-

TITULUS DECIMUS.

De Usuris.

CAPUT UNICUM.

Edictum contra Usuras bis in annum publicandum edicitur.

USuras, & Divino, & humano jure semper ubique proscriptas, ità in præsentiarum longè latèque diffusas videmus; ut meritò illud Prophetæ usurpare possimus; *A minore usque ad majorem, omnes Avaritiæ student; & à Propheta usque ad Sacerdotem cun-*

cuncti faciunt dolum (*o*). Hinc Parochos, & Confessarios omnes hortamur, ut contractus omnes sibi confitentium omni diligentia inquirant, ac perpendant; eorumque conscientias in lanternis scrutentur; fodientes enim parietem, abominationes pessimas videbunt. Optimè igitur Contractuum Doctrinæ, quam Saniores tradunt Theologi, impensissimè studeant, præque manibus habeant; ut Usurariorum veteratorum apprimè fucatas astutias, & dolos valeant detegere. Sed ut tàm gravi nefandoque malo, quæ Idolorum servitus ab Apostolo juremerito nuncupatur, quodque instar tumidi fluminis quoquoversùm inundat, opportunum aggerem constituamus, singulis quibusque Parochis præcipimus, ut bis in singulos annos, tertia scilicet Adventus Dominica, & Dominica Passionis, inter Missarum sollemnia Edictum contra Usuras, in hujus Synodi Appendice appositum, Populo enuncient. Quoties autem promulgare neglexerint, toties pro suæ socordiæ pœna decem carolenos solvere cogentur.

(o) *Jerom. c. 6.*

X TI-

TIT. UNDECIMUS.

De Regularibus.

Cùm non pauca ad noſtræ Diœceſios Regulares Viros pertinentia, tanquam Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Delegati, præſentibus hiſce Conſtitutionibus pro re natâ edixerimus; ne repetita crambe, ut ajunt, faſtidium pariamus; dumtaxàt hortamur Regulares omnes, ut quæcunque de Prædicatione verbi Dei, de caſuum moralium Collationibus, de Eccleſiis, de Sacramentorum administratione, deque Sepulturis, exequiis, & Portione Canonica, hactenùs decrevimus; attentè perlegant, & cuſtodiant religioſiſſimè.

mè. In præsenti tamen nonnulla alia ad ipsosmet Regulares spectantia præcipiamus.

CAPUT I.

De Processionibus.

I. DUM publicæ fiunt Processiones, uti sunt Sanctissimi Corporis Christi, Rogationum tàm in Litaniis majoribus, quàm minoribus, vel quæ pro bono aut honore publico fient, Regulares omnes vocati accedant, juxtà Sacri Tridentini Concilii præscriptum (*p*); salvis tamen Apostolicis privilegiis, si qua fuerint, Nobis infra mensem ab hujus Synodi promulgatione exhibendis. Qui vocati aut per Edictum, aut per Nuncium, ad hujusmodi Processiones accedere neglexerint, suas Ecclesias Interdicto noverint subiiciendas.

(*p*) *Sess. 25. c. 13. de Regul.*

II. Accedentes igitur, ut oportet, ad publicas processiones per Civitatem, aut per alia respectivè oppida faciendas, in Cathedralem, aut Matricem Ecclesiam, unde inchoantur, opportunè conveniant, illucque

revertantur. Cùm verò ad aſſociandum Defunctorum Cadavera vocabuntur, quamvis in Parochialem Eccleſiam, aut Cathedralem, aut Collegiatam debeant neceſſariò convenire; abſoluta nihilominus aſſociatione, aut exequiis, recta via, ſi velint, ad ſua Monaſteria redire poſſe Sacra Epiſcoporum Congregatio declaravit apertiſſimè (*q*); Quùm ad comitandum Capitulum, aut Parochos, nullo pacto devinciantur. Ad ducendum tamen Funus vocati, haudquaquam non vocato, & expectato Parocho defuncti, eoque præſente, niſi ipſe aliud permiſerit, vel adeſſe recuſaverit, quovis prætextu audeant efferre; ut ſæpiùs à Sacra Congregatione fuit Sancitum (*r*): & oppoſitum audentes dignas pœnas pro noſtra voluntate ſe ſciant daturos.

(q) *In Andrien.* 20. *Janur.* 1657.

(r) *S.Cong. Ep.* 12. *Januar.* 1600. *S.C.Rit.* 18 *Aug.* 1629. 26. *Novem.* 1631. 22. *Decemb.* 1619.

III. Nullas unquam Proceſſiones per Civitatem ſine noſtra licentia, inire aut ducere audeant Regulares. Suas verò privatas, & conſuetas Proceſſiones dumtaxat intra Clauſtra, ſi in ſuis Eccleſiis Clauſtra fuerint; aut demùm propè muros Eccleſiæ, ſi Clauſtra non habuerint, facere eſt licitum; Extra tamen Eccleſiæ ambitum, niſi de Parochi

chi licentia, cujus Parochiæ fines attingunt, ducere prohibemus (*s*).

(s) *S. Cong. Rit. 26. Februa. 1628.*

CAPUT II.

Ingressus Clausuræ Regularium Mulieribus Interdicitur.

I. QUoniam ex ſalutaribus S. Pii PP. V., & Gregorii PP. XIII. Conſtitutionibus, Clauſuræ Regularium Virorum Ingreſſum omninò mulieribus interdictum comperimus; iiſdem, ut par eſt, inhærentes, tàm Mulieres eandem Clauſuram ingredientes, quàm Regulares eas ingredi permittentes, Excommunicationis pœnæ eo ipſo ſubjectos declaramus. Ad priores autem Clauſtri porticus, exteriorique Oſtio proximiores, ut à Sancta Apoſtolica Sede eſt derlaratum, Ingreſſum mulieribus non vetamus, eo dumtaxàt tempore, quo Proceſſiones publicæ ab iiſdem Regularibus de more ducuntur. Interdicimus autem majori, qua fungimur, aucto-

auctoritate, imò ipso facto excommunicatione afficimus, & mulieres ingredientes, & Regulares ingredi facientes usque ad interiora, aut Superiora Monasterii loca, cùm Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro Regularibus ipsis, aut aliis Infirmis, intra Monasterium deportatur.

TI-

TIT. DUODECIMUS.

De Sanctimonialibus.

POsteaquàm Episcopatus nostri Consilia, & partes pro recta Dominicæ Vineæ cultura, in qua Nos Dominus operarios simul, & Custodes posuit, hisce adhuc præscriptis Synodicis Sanctionibus impendimus; reliquum est, ut quæ ad ejusdem Servatoris Nostri Jesu Christi conclusos Hortulos, ad Sponsarum suarum videlicet Asceteria summopere conducunt, tandem aliquando decernamus. Sit igitur.

CA-

CAPUT I.

De Sanctimonialium Disciplina.

I. Cujuscque Ordinis Sanctimoniales, quæ Sacratæ sunt Omnipotenti Deo Columbæ in Caverna Maceriæ à facie Vulturis persequentis custoditæ, ad præscriptum Regulæ, quam professæ sunt, vitam suam componere debere; atque in primis quæ ad suæ Professionis pertinent perfectionem, ut sunt Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis Vota, necnon alia suorum Ordinum præcepta, fideliter observare oportere, nemo unquam potest inficiari. *Si enim illa*, inquit Sacrum Concilium Tridentinum (*t*), *quæ bases sunt, & totius Regularis Disciplinæ fundamenta, exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est*. Eamobrem omnes hujus nostræ Civitatis, & Diœcesios cujuscque Ordinis Sanctimoniales in Domino iterùm atque iterùm hortamur, & in visceribus Jesu Chri-

(t) *Sess. 25. c. 1. de Regul. & monial.*

Christi commonemus, ut omnes suas intendant vires; ne quovis prætextu aut modo Regularem vitam relaxare, neque in minimis quidem suorum Ordinum statuta, & Regulas violare videantur.

II. Nulli igitur Sanctimonialium bona immobilia vel mobilia, qualiacunque fuerint, & quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam Conventus aut Monasterii nomine liceat possidere; sed statim omnia Antistitæ seù Abbatissæ tradantur, Monasterioque incorporentur. Mobilium verò usum ità Antistitæ Sanctimonialibus permittant, ut earum supellex statui paupertatis, quam sollemniter sunt professæ, conveniat; nihilque superflui in ea sit; nihilque vani, speciosi, & mundani, ac demùm prætiosi, contra Paupertatis votum reluceat, appareatque. Quod si qua Monialis aliter quidquam tenere deprehensa, aut convicta fuerit, biennio activa, & passiva voce, juxtà ejusdem Tridentini Concilii præscriptum, privetur; atque etiam secundùm suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones puniatur (*u*). Intereà tamen loci noverint Monasteriorum Antistitæ nihil unquam, quod suis Sanctimonialibus

(u) *Sess. 25. cap. 2.*

Y sit

sit necessarium, eis nullo loco denegare, sui Officii partes esse. Moniales verò omnes monitas volumus, ut omninò cujuscunque proprietatis speciem, tanquàm à facie Colubri, cavere, & fugere studeant; & quæ pro suis usibus necessaria fuerint, nonnisi de Antistitarum licentia utantur. In iis denique Asceteriis, in quibus non adhuc vita communis observatur, aut perfectè ob reddituum tenuitatem observari nequit, ita ut ea omnia, quæ ipsis Monialibus ad earum status decentiam sunt necessaria, suppeditari non possint; usum Peculii aut Livelli concedimus, hac tamen lege, & pacto; ut nimirùm dependenter ab Antistitæ voluntate habeatur; ut sint paratæ Moniales ad ejusdem nutum idem peculium relinquere, aut tradere; ut in licitos, & pios usus, & sui status decentiam illud convertatur; ut non sit superfluum; ut denique penes Depositarias in communi Depositorum Capsa habeatur; ex quo, nisi de Abbatissæ licentia, nihil unquam extrahatur.

III. Quanquam ex ejusdem Tridentini Concilii constitutione (*x*) admoneantur cujusque Ordinis Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus suorum peccatorum fa-

(*x*) *Sess. 25. cap. 10.*

faciant exomologesin, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento suas animas reficiant, quo salutari præsidio satissuperque munitæ quascunque Tartarei Hostis oppugnationes forti animo valeant superare: nihilotamenminùs, cùm in nostris Asceteriis hujusce modi Sacramenta frequentari summa nostri animi consolatione videamus, Currentibus stimulum addere volentes, Sanctimoniales omnes hortamur, ut tàm proficuum incœptum non omittant; quinimmò hujusmodi suas animas religiosis virtutibus exornare studeant, tanta puritate mentis eniteant, atque fervore spiritus ità exardeant, ut dignæ frequentiori aut quotidiano Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint.

IV. Et quoniam experientia ipsa perdocti sumus, quantum Spiritualia Sancti Ignatii exercitia saltem per Octiduum facta ad diù multùmque concupitam animarum perfectionem consequendam conducant, proficiantque; mandamus, ut in nostris Asceteriis semel saltem quotannis hujusmodi spiritualia exercitia singulis quibusque Sanctimonialibus per octo dies communiter fiant. Quibus autem diebus Collocutorii commu-

nis januæ omninò occludantur; nec ulli tunc temporis ad Crates aut Rotas pateat accessus: neque demùm quælibet Sanctimonialis ad easdem Crates aut Rotas cùm nullis, etiam quocunque gradu propinquis colloqui audeat, sub pœnis pro nostro arbitrio infligendis.

V. Quùm non sine magno nostri cordis dolore, & regularis observantiæ detrimento, audiamus, quod Divinorum Officiorum, aut Orationis, aut cujusque Communis pietatis exercitii tempore, quandoque ad Crates, aut ad Rotas quædam Moniales ad colloquendum cùm aliis morari non vereantur; districtè cuique Monasteriorum nostrorum Antistitis præcipimus, atque mandamus, ut tandem aliquando hujusmodi absurdis finem imponere studeant; districtissimam enim de quavis Regularis Instituti inobservantia, quæ suo vitio, & negligentia permittitur, sunt apud Dominum Jesum Christum, qui Deus Zelotes est, rationem reddituræ. Quapropter in superiùs dictis temporibus nullam unquam Sanctimonialem, Officialibus exceptis, ad Crates aut ad Rotas vocari, aut commorari sinant: Transgredientes verò dignis pro merito pœnis afficiant. Si ipsas autem

tem Antistitas in his exequendis Socordes, & negligentes invenerimus, per mensem ab officio suspensam declarabimus.

VI. Omnes denique nostrorum Monasteriorum Sanctimoniales in Domino etiam atque etiam hortamur, & quammaximo studio, & fervore commonemus, ut diù multùmque suæ Vocationis propositum, quænam Vota Omnipotenti Deo per sollemnitatem fecerint, cujusnam amori, & servitio in suæ Professionis die seipsas mancipaverint, seriò perpendant. Hæc enim, ut oportet, pensantes, dignitatemque suam, quippe quæ Jesu Christi sponsæ sint, agnoscentes, in veterem vilitatem degeneri conversatione redire profectò abhorrebunt; & ad sæculi pompas, quas tanta sollemnitate quondam fortiter abdicarunt, iterùm animum suum adiicere; ac cælestium deliciarum manna fastidientes, malè olentes Ægypti cæpas porrosque deintegro esurire, certè eas plurimùm pudebit. Ab iis igitur omnibus, quæ Mundi ingerunt Vanitates, suos oculos avertant; atque objecta omnia, quæ earum animum ad sæculi species faciunt avolare, longiùs amovere studeant. Hujuscemodi autem sunt, sæcularia

ria negotia pertractare; in vestimentis, quæ dumtaxat lanea esse debent, vanitatem affectare; amicitias fovere; choreas ducere; virilem, aut sæcularem vestem fæmineam induere, aut personatæ Bacchanaliorum temporibus incedere. Quæ quidem omnia, cùm sæculares etiam dedeceant, atque apud Deum sint abominalia; quantò magis Jesu Christi Columbis, & Sponsis sunt indecora? Antistitarum igitur, pro prædictorum observantia, conscientias oneramus; quas si Officii sui immemores sentiemus, dignis redargutionibus corripiendas Nobis esse pronunciamus.

CAPUT II.

De Sanctimonialium Clausurâ.

I. QUia Sanctimonialium Monasteria, veluti quædam Cælestis Sponsi, qui pascitur inter lilia, speciosa sunt Viridaria, Horti Conclusi, Vineæque florentes; in quibus ejusdem Domini Sponsæ sicut candida lilia inter spinas odorem suum dare debent Dilecto, dum descendit in Hortum suum ad

arco-

areolam aromatum, ut pascatur in Hortis, & lilia colligat: major profectò nostri Pastoralis Officii Sedulitas, solertia, & Cura in earum custodia requiritur; ne socordes, & negligentes effecti, magna confusione suffusi dicere cogamur; *Posuerunt me custodem in vineis, & vineam meam non custodivi* (y). Nostri igitur Episcopatus partes, nec non Sacri Tridentini Concilii Constitutiones (z) adimplere atque exequi exoptantes, districtè inhibemus atque interdicimus singulis quibusque, cujusque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, nè intra nostrorum Monasteriorum Septa, sine scripta licentia nostra, aut nostri Vicarii, aut alterius per speciale mandatum per Nos deputati, audeant intrare. Qui huic Præcepto non obtemperaverint, sed contrarium facere ausu suo præsumserint, eo ipso facto Censuras ac pœnas in Bulla fel. record. Gregorii PP. XIII. contentas, se noverint subituros.

(y) *Cant.* 1.

(z) *Sess.* 25. *cap.* 5. *de Reg. & Monial.*

II. Interdicimus etiam sub excommunicationis pœna omnibus, & Viris, & Mulieribus in primo, & secundo gradu Consanguineis aut affinibus, nè ad Clausuræ januam accedant, non habita licentia ut supra,

ad colloquendum cùm suis Sanctimonialibus propinquis : eademque Excommunicationis pœna afficiendas declaramus quascunque id permittentes, aut colloquentes Moniales.

III. Clausuræ Januas reserare, nonnisi in Casibus necessariis, omninò prohibemus. Quodcunque commodè aliunde in Clausuram immitti potest, per Clausuræ januam nolumus introduci. Janitrices, aut Antistitæ, hanc nostram voluntatem parvi pendentes, pro nostra voluntate pœnas luent.

IV. Inhærentes etiam, ut æquum est, salubri providoque Edicto, pro Romanæ Urbis Sanctimonialibus, jussu fel. record. Innocentii PP. XI. anno 1676. emanato, nec non Sacræ Episcoporum Congregationis Ordinationi (*a*), vetamus, nè pueri aut puellæ cujusvis minimæ ætatis intra septa Monialium admittantur: Contra permittentes, aut ingredi facientes, Excommunicationis pœnam interminamus.

(a) 12. *Febr.* 1585.

V. Qui ex nostra aut nostri Vicarii licentia Clausuram Monialium ad sua obeunda munia ingredientur, cujusmodi sunt Famuli, Fabri, Chirurgi, Medici, Confessarii, aliique, quorum ope Moniales indiguerint,

non-

nonnisi in casibus verè necessariis ingrediantur: neque curiositatis gratia Monasterii loca circumeant; aut diutiùs, quàm oporteat, ibidem commorentur; sed recta via, absoluto penso, egrediantur. Contrafacientes pœnis Nobis arbitrariis plectentur. Ingredientes autem, aut commorantes, aut exeuntes eosdem, semper Abbatissa, seù ejus Vicaria, aliæque Seniores Sanctimoniales, aut Janitrices comitentur.

VI. Quùm ex Bonifacii PP. VIII. Constitutione, quæ incipit, *Periculoso* (b), & S. Pii PP. V. quæ incipit, *Cura* Pastoralis, & Græzorii PP. XIII., & nonnullis ex Sacræ Congregationis Decretis, compertum habeatur, Conversas Moniales, quæ tria Religionis vota emiserint, etiam ad clausuram perpetuam obstringi; sub pœna excommunicationis latæ sententiæ inhibemus, nè extra communis Clausuræ januam, etiam ad claudendos vel aperiendos exteriores postes, egrediantur; sed alteri extra Clausuram, aut aliis Famulabus Laicis intra Monasterii Septa degentibus hujuscemodi Officii partes volumus demandandas.

(b) *De stat. regul. in 6.*

CAPUT III.

De Collocutione cùm Sanctimonialibus.

DOcete *Filias vestras lamentum*, inquit Jeremias; *quia ascendit Mors per fenestras, ingressa est domus nostras disperdere* (c). Quantum igitur verendum est, ne per Crates, aut Rotas, aut per Cancellos, Peccati Mors Sanctimoniales nostras aggrediatur, virtutum cumulos destruat, disperdatque? Impensè igitur Nobis est elaborandum, nè Electæ Cælestis Regis Sponsæ ad Hortorum delicias, ejusque in Cellaria introductæ, post Greges incipiant divagari: quùm enim Columbæ sint in foraminibus petræ, in caverna maceriæ; dumtaxàt Dilecto facies suas debent ostendere; Earumque voces tantummodò in auribus illius personare. Idcircò hæc præscribenda autumavimus.

(c) Cap. 19. v. 21.

I. Nullus igitur ad nostrarum Sanctimonialium Monasteria, præter in primo, & se-

secundo gradu consanguineos aut affines, sine nostra, aut nostri Generalis Vicarii licentia, accedere præsumat ad colloquendum sive per Crates, sive per Collocutorii, & Ecclesiæ Rotas, aut ad Clausuræ januam, aut demùm ex quocunque alio loco (etiam per breve tempus, & non ad malum finem) cùm aliqua, vel aliquibus earum, etiamsi sit Novitia, vel Conversa, aut quæ Educationis gratia, aut qualibet alia causa ibidem commoretur; sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, nobisque reservata. Præsertim verò eadem nobis reservata censura eo ipso declaramus affectos, qui coram quacunque Moniali, aut alia ex prædictis in Monasterio degentibus, de rebus obscœnis per verba aut per signa loqui, aut quosvis impudicos actus per impudentiam exhibere. Absentes etiam tali excommunicatione afficimus, qui per literas aut nuncios hujusmodi obscœna tentare ausi fuerint: Omnes denique utriusque sexus, sive extra, sive intra Monasterii claustra respectivè degentes, qui prædicta nefanda patrarint, aut hujuscemodi mandata commiserint, aut detulerint.

III. Et quoniam inimicus homo super-

feminare zizania noctu, & interdiù, etiam super electos, & satis superque Ecclesiæ campos non desistit; & quarundam Sanctimonialium Conscientias relaxare, nullamque religione, aut scrupulo impediri persuadere conatur, quùm Exteros sine nostra licentia alloquuntur; idcircò sub excommunicationis pœna interdicimus Monialibus, nè cùm quoquam sine nostra licentia colloqui præsumant, exceptis suis in primo, & secundo gradu propinquis. Colloqui autem cum famulis aut nunciis suorum in prædictis gradibus propinquorum, lubenti animo concedimus.

III. Tametsi in primo, & secundo gradu Propinquis cùm Sanctimonialibus pro sua voluntate, & libito colloqui licitum esse declaremus; nihilotamenminùs Apostolicis Constitutionibus, nec non quampluribus Sacræ Congregationis decretis inhærentes, iisdem Consanguineis aut Affinibus inhibemus, ut Sacris Adventus, & Quadragesimæ temporibus, sine nostra licentia, ad colloquendum cùm iisdem ad Collocutorii Crates accedere non audeant: Et propterea Monasteriorum Antistitis mandamus, ut prædictis tem-

temporibus Crates omnes habeant clavibus obseratas; quas sine nostra, aut nostri Vicarii licentia reserare non audeant.

IV. Viri Religiosi ad colloquendum cùm Monialibus, sine nostra licentia, accedentes, ultra prædictam excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam, nobisque reservatam, etiam alias pœnas in Decreto Sacræ Congregationis jussu Sisti PP. V. edito contentas (*d*); privationem scilicet officiorum, vocis activæ, & passivæ, ipso facto se noverint incursos. Regulares etiam in primo, & secundo gradu Consanguinitatis, si cùm suis in his gradibus Conjunctis Monialibus colloqui ausi fuerint, sine nostra licentia in scripto, ut Sacra Congregatio de mandato Urbani PP. VIII. apertissimè præscribit (*e*), easdem pœnas subibunt.

V. Sed quia faciliùs, & suaviùs Sæculares omnes, imò & Sanctimoniales ipsæ à colloquiis abducerentur, si Auscultatricum usus, repetitis, & irrefragabilibus Ordinationibus Apostolicis (*f*), nec non Sacræ Congregationis decretis inculcatus, plenam deduceretur ad praxim: Idcircò sub pœnis ab eadem Sacra Congregatione propositis Auscul-

(d) *An.* 1590.

(e) 12. *Kal. Decemb.* 1623.

(f) *C. diffinimus*, 18. *q.* 2. *C. in omnibus*, 81. *dist. C. in decima*, 23. *q.* 2.

Auscultatricum usum in nostris Monasteriis sancimus. Earum munus erit juxta Crates assistere, dùm Exteros cùm Monialibus colloqui ex nostra licentia contigerit, ut quæ dicuntur, audire valeant; cùm illis tamen loqui Auscultatrices ipsæ non audeant. Eligantur propterea prudentiores, & seniores, aut saltem quæ Quadragesimum annum agunt; cujus etiam ætatis Janitrices, Rotariæ, & Sacristæ esse debent.

VI. Omnes Monasterii, & Ecclesiæ Januæ post solis occasum extemplò obserentur, nec ante solis ortum recludantur, nisi aliqua urgeat necessitas. Cùm Prandii tempus advenerit, remotis omnibus à Collocutorio, ejusdem postes clavibus occludantur; nec nisi decima nona hora aperiantur. Quod si secùs fiat, pœnis Nobis arbitrariis Monasteriorum Antistitas seù Abbatissas insequemur.

VII. Postquam Cælestis Sponsus in Cellam Vinariam Sponsam suam introduxit, atque in ea charitatem ordinavit, fulcit floribus, stipat malis, quia suo amore facit languere, dulcissimoque orationis somno dormire: Ne autem Dilectam suam tàm suavi so-

sopore sub umbra illius oppressam: quis importunè andeat suscitare, adjurat omnes, dicens; *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit* (g). Quàm turpe igitur est, importuno cantu, & sono à nonnullis perfrictæ frontis hominibus sponsam Christi deturbari? Inhibemus propterea, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda interdicimus, ne quis ad Moniales sonare aut cantare circùm Monasterii septa seù ambitum quovis tempore præsumat. Choreas etiam ducere, spectacula aut mimos agere, ad Monasteriorum prospectum, omninò prohibemus.

(g) *Cant. 2.*

CAPUT IV.

De præfigendo Sanctimonialium numero.

I. QUùm ex provida Sacri Tridentini Concilii dispositione (*h*) is tantùm numerus in quocunque Sanctimonialium Ascerterio debeat constitui, ac in posterum con-

(h) *Sess. 25. c. 3. de Reg.*

conservari, qui ex propriis Monasteriorum redditibus commodè possit sustentari; præcipimus, ut in quovis hujus nostræ Diœcesios Monasterio Sanctimonialium numerus præfigatur: Quocircà intra tres menses post hujus nostræ Synodi promulgationem, Accepti, & Expensi Inventarium ad Nos deferant Asceteriorum Administratores; ut, pro redditibus, Sanctimonialium numerum præfigere valeamus. Sed cùm nostri Episcopatus initio in Benedictino Monasterio hujus Civitatis Trojæ peculiari decreto Monialium numerum præfixerimus, in hac Synodo etiam confirmamus, hac tamen lege; ut Cives scilicet Exteris præferantur, etiamsi solùm ingressum postulent, & admissæ fuerint, dummodo infra annum pro legitimæ probationis seù Novitiatus anno habitum assumant.

II. Interea tamen loci hoc deinceps pro Sanctimonialium Dotibus statuimus, & observandum pronunciamus; ut quæcunque scilicet supra præfixum numerum in Monasterium ingredietur, ultra statutam, & consuetam aliarum Monialium numerariarum dotem quinquaginta alios ducatos solvat, si de Civitate erit; ut jam multis abhinc annis est

in more positum; si verò extera, centum alios ducatos solvere teneatur. Supranumerariæ autem dotem in stabilium emtionem omninò esse impendendam decernimus, præcipimus, sancimus; neque ad alios usus hujusmodi pecuniam distrahere, aut insumere, quovis prætextu audeant Antistitæ; si secùs, ipso facto Excommunicatione affectas declaramus. Et quamvis Monialium infra numerum Dotes ad necessitates Monasterii sublevandas impendi posse, Sacra Episcoporum Congregatio declaravit (*i*); nihilotamenminùs ut, quantum ad nos pertinet, Sanctimonialium utilitati, & commodo prospiciamus, Antistitis prohibemus, nè sine nostra licentia hoc facere audeant; si secùs fecerint, ipso facto Interdicto subjaceant.

(i) *6. Junii* 1615.

CAPUT V.

De Educandis.

I. IN Gynæcea tenennulas introduci puellas, ut ad Divinum timorem capessendum, Christianæque vitæ sanctimoniam consequen-

dam faciliori negotio instituantur, usqueadeò laudandus mos est, ut etiam à priscis temporibus, in Hebræorum potissimùm Synagoga fuerit institutus, atque apprimè servatus. In Asceteria autem nostra sanioris educationis gratia ingredi cupientes puellæ, Sanctimonialium consensum per secreta suffragia expressum, nec non Sacræ Congregationis rescriptum expetere, atque expectare tenentur. Sed quoniam ejusdem Sacræ Congregationis licentia cùm certis quibusdam conditionibus, necessariò servandis, datur; hæc edicenda curavimus.

II. Puellæ igitur Educandæ ne sint minores septennio, aut viginti quinque annis majores; quo proximiori, & ultimo anno absoluto, aut è Monasterio egrediantur, aut tandem aliquando Sanctimonialium habitum induant, & Tyrocinium seù probationis annum incipiant, ut completo hujusmodi tempore professionem emittere possint. Omnes itidem Educandæ ad Monialium Clausuræ, necnon ad communis observantiæ, & Disciplinæ leges se noverint obstrictas. Famulas proprias secùm non habeant; vestibus admodùm modestis, virginalique

pu-

pudori decentibus dumtaxat utantur: Pro earum dormitione, & operibus sit locus à Monialibus separatus: quolibet Semestri anticipatam pro suis alimentis solvant portionem; atque ab omnibus Magistræ nutibus, per Abbatissam electæ, dependeant.

CAPUT VI.

De Novitiarum Receptione, & Professione.

I. DUM, Deo Optimo Maximo vocante, aliqua puella omnes sæculi pompas, & voluptates mendaces intrepido corde, fortique animo calcans, & veterem hominem cùm omnibus actibus suis se expoliare desiderans, Cælesti sponso ex millibus electo se prorsùs dicare, ejusque Columbarum habitum induere, & Sanctimoniam amplecti proponit; ad suscipiendum hujusmodi habitum, nisi saltem tertium decimum annum agat, non admittatur. Ut autem sui voti tandem aliquando compos fiat, à Nobis

licentiam petat, & Monialium consensum per secretum scrutinium expectet: quibus obtentis, & facta etiam per Nos, aut nostrum Vicarium suæ hujusmodi voluntatis exploratione, necnon effectivo, & reali suæ Dotis Deposito jam facto, & Spiritualibus Exercitiis per octo dies peractis, ad suscipiendum Religionis habitum admittatur. Annum verò Probationis, nonnisi quinto decimo suæ ætatis anno completo, incipere posse, per Sacrum Tridentinum Concilium est clarè decretum (*l*).

(l) *Sess.*25. *c.*15.*de Regul.& Monial.*

II. Intra duos menses proximos ante Professionem cùm nostra, aut nostri Vicarii licentiâ Renunciationem faciat, quæ, nisi professione secuta, minimè suum sortietur effectum (*m*). Sed ut ejusdem Professionis tempus à Nobis non ignoretur, mandamus ut Monasteriorum Antistitæ ante mensem nos reddant certiores; quod si omiserint, à suo officio suspensas declarabimus (*n*).

(m) *Concil. Trid. ibid. c.*17.

(n) *Con. Trid. ibid.*

III. Cùm Professionis Dies advenerit, quam nonnisi integro Probationis anno, & suæ ætatis decimo sexto, perfectissimè expletis, faciendam esse idem Concilium præcipit, nè alioqui sit irrita (*o*); iterum licentiam no-

(o) *Ibid.*

noſtram, & Sanctimonialium conſenſum per ſecreta ſuffragia expromendum, exquirant: quibus habitis, & facta de integro Profeſſuræ puellæ voluntatis exploratione, debitiſque Requiſitis præſentatis cum Teſtimonio itidem de Spiritualibus per dies octo exercitiis, ſtatuta die coram Nobis, aut alio per nos deſtinando, exoptatam emittat Profeſſionem.

IV. Ut autem Nulli unquam fraudis anſa præbeatur, & Novitiarum Receptionis, & Profeſſionis memoria per temporum injuriam deleri non poſſit; noſtrorum Monaſteriorum Antiſtitis mandamus, ut in Libro, ad id ſpeciatim parato, earum omnium, quæ ad Inſtitutum, & Religioſum habitum adſciſcuntur, Nomina, Cognomina, ætas, patria, & origo, nec non Habitus ſuſceptionis dies, menſis, & annus, & in cujus manibus, quam diligentiſſimè per Secretariam deſcribantur: quod etiam in Profeſſionis die deſcribendum præcipimus. Sed ut hujuſmodi Acta fiant firmiora, ejuſdem Puellæ, quæ habitum ſuſcepit, aut Profeſſionem emiſit; necnon duarum Monialium, tanquàm Teſtium, ſubſcriptionem requirimus.

CA-

CAPUT VII.

De Domibus Pœnitentium Conversarum, & Conservatoriis Puellarum.

QUam Nostri Pastoralis Officii curam in Sanctimonialium gubernium impendere incumbit, eandem omninò in Pœnitentium Conversarum, necnon quarumlibet Puellarum in Conservatoriis hujus nostræ Diœcesios commorantium custodiam pro nostris opibus esse impendendam, satis compertum habetur. Quocircà ut satis Nostri Episcopatus partibus faciamus, hæc duximus decernenda.

I. Quicunque ad Conservatoria Virginum, seù Orphanarum, atque ad Domos Pœnitentium Mulierum Conversarum, sine nostra, aut nostri Vicarii licentia accedere præsumserit, ut cùm eisdem quacunque ex parte aut loco colloquatur; aut ipsas ad obscœna, & nefanda per verba, aut signa, per literas aut nuncios, adducere, & incitare

ausus

aufus fuerit, Excommunicationis pœnæ, cujus abſolutionem Nobis reſervamus, ipſo facto ſe noverit addictum. Cui etiam pœnæ, omnes qui aut extrà, aut intrà eaſdem Domos ſimilia patrare, aut mandata committere, aut deferre non verentur; aut denique auſu ſuo intra earundem Domuum Septa ingredi præſumſerint, ipſo facto obnoxios hoc noſtro Synodali Decreto declaramus.

II. Inhærentes Sacræ Congregationis Conſtitutioni (*p*), ſub pœnis pro noſtro arbitrio indicendis, inhibemus, nè ulla unquam educanda Puella in hujuſmodi Pœnitentium Converſarum Domos introducatur; dumtaxat enim Mulieribus, quæ ex Lupanari, Deó vocante, egrediuntur, ipſarum Aditus patere debet. Quamobrem etiam interdicimus, nè quæque Mulier, ſine noſtra licentia, quovis prætextu, aut fine, in eaſdem Domos intromittatur.

(p) 12. *Maii* 1619.

III. Quia demùm hujuſmodi Pænitentes Mulieres eleemoſinarum ultrò oblato, aut perſeipſas perquiſito ſubſidio vitam vivere coguntur; quùm ad quæſtuandum exire contigerit, nonniſi de noſtra licentia, fieri vetamus.

CA-

CAPUT VIII.

Quædam pro recto Sanctimonialium temporali regimine præscribuntur.

